

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm XVI Pavlli
Manvtii Commentarivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN EPISTOLARVM
M. TVLLII. CICERONIS

A D

T. POMPONIVM. ATTICVM

LIBRVM. XVI.

PAVLLI. MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico 1.



NONIS Quinti. ueni in Puteolanum; iens ad Brutum, in Nefidie haec scripsi, sed eodie, quo ueneram, cenanti Eros tuas litteras. Ita ne? nonis Iulij? mehercule istis, sed Stomachari totum diem licet. quidquam ne turpius, quam Bruto, Iulys & redeo ad meum, igitur adhaerens, nihil uidi. Sed quid est quaeſo, quod agripetas Buthroci concisus audio & quid autem Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem, & noctem? sane cupio scire, quid sit. Meam profectiorem laudari gaudeo. Dymaeos agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum uidentum est, ut mansio laudetur. in *εὐνοία*. Bruti uideretur aliquid praesidij esse: sed, opinor, minuta nauigia, sed iam sciam, & ad te cras. De Ventidio, *παιδὶ* puto. De Sexto, pro certo habebatur, ad arma, quod si uerum est; sine bello civili uideo seruiendum. quid ergo? kal. Ian. in Pansa spes. *ἀποσπασθε*, in uino & in somno istorum. D E C C X, optime Cicero- nisationes explicentur. Obiis enim recessis multa,

quae uellem: in his ne hoc quidem malum, in mandatis sat abunde: HS LXXII satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexigue, & *ἄλλοτε* praebere, id est minutatim, quo plus permutasti, quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. hinc ex kal. Apr. ad HS LXXX accommodetur. nunc enim insulae tantum, uidentum enim est, quid, cum Romae erit, non enim puto, socrum illam ferendam. Pindaro decumano negaram. Nunc, cuius rei causa tabellarium miserim, accipe. Quintus filius mihi pollicetur se Catonem. egit autem & pater, & filius, ut tibi sponderem, sed ita, ut tum crederes, cum ipse cognosces. huic ego litteras ipsius arbitrato dabo. eae te ne mouerint. has scripsi in eam partem, ne me motum putares. dii faxint, ut faciat ea quae promittit, commune enim gaudium: sed ego, nihil dico amplius. is hinc V 11. idus, ait enim attributionem in idus, se autem urgeri acriter. tu ex meis litteris, quo modo respondeas, meditare. Plura, cum & Brutum uidero, & Erotem remittam. Atticae meae excusationem accipio, eamq. amo plurimum: cui, & Tulliae salutem. Vale.

EXPLANATIO



NONIS Iulys? & scripserat Atticus Ciceroni, Bruti ludos esse proscriptos sic, A nonis Iulys ad 111. Idus: ut scilicet populo significaretur, ad sextum diem ludos esse duraturos. eam proſcriptionem ut maxime turpem Cicero detestatur; nec id quidem iniuria: quia certe nimis absurdum uideretur, apparere Iulij nomen in proſcriptione ludorum, quos Brutus daret, is, qui ipsum Iulium non ferens uita priuasset, oportebat autem non nonis Iulys proſcribere, sed nonis Quintilibus; primum, ne tyranni nomen usurparetur: deinde, quae ad Caesaris honorem ciuitas non libera constitisset, ea ne confirmarentur. nam ex historia notum est, de- creuisse

creuisse senatum, ut Iulius mensis e Caesaris nomine uocaretur, Quintilis ante dictus. Sed de Bruti ludis ita proscriptis unde afferam, si quis quaerat; locus est infra, unde didici: quo ex loco descripta uerba recitabimus. sic igitur epist. 14. lib. 16. in Nefida 11x. idus. ibi Brutus. quam ille doluit de nonis Iulij. mirifice est conturbatus: itaque sese scripturum aiebat, ut uenationem eam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, 11. idus Quint. non. 11. idus Iul. ut extremum ludorum diem fuisse constet, 1v. idus, cum dies uenationis, quae ludos est Apollinares consecuta, 11. idus sit. **HERCVLE** *illis* & dices: mehercule nonis Iulij futura erat commissio ludorum: quid igitur erratum? **ENIMUERO**, inquit Cicero, uis me totum diem stomachari, cum etiam defendere conaris foedissimum imprudentiae lapsum. quid? potest esse Bruto quidquam turpius, quam Iulij? cur non potius, Quintilibus, ut odiosum uerbum uitaretur? Etiam illud obseruo, Ciceronem initio huius epistolae effugisse acerbam dictionem Iulij, & maluisse, nonis Quintilibus. **REDEO** *ad meum igitur* *ἐλθόμεν* & ad illud meum, Abeamus, discedamus ex Italia. **NIHIL** *uidi* & potest esse *ἀποσιώπησις* ut sit, Nihil uidi turpius. **AGRIPETAS** *Buthroti contisos* & eos, qui Buthrotium agrum petierant, a Buthrotijs male multratos. ep. 19. lib. 15. & 4. huius lib. **ITA** *enim meditabar diem, & noctem.* & cum de mendo suspicarer, neque tamen ex coniectura probabile quidquam possem eruere; adiuui antiquos libros. inspexi, omnes in scriptura consentientes. unum Bessarionis animaduerti pro Meditabar, habere Mediabam. tum uero quasi lucem aliquam secutus, qui antea in tenebris errassem; putauit, interpungendi ratione mutata, restitui locum ita posse: Quid autem Plancus tam cursum (ita enim audiebam) diem & noctem? Nam certe. ut de Planco & noctem Cicero meditaretur, ne utique mihi probatur. fuerit in quaerendo & percunctando curiosus: diurna uero simul & nocturna meditatio quem hic habere locum potest? age, ad uerbum, *Cursum*, refer illud, *Diem & noctem*: quanto aptius? nam in itinere maturantes, noctem diei coniungere, notissimum est. etiam Caesar in 3. de bello ciuili. Vibullius, inquit, continuato & nocte & die itinere, atque mutatis ad celeritatem iumentis, ad Pompeium contendit. Et in eodem, paullo post: Caesar properans noctem diei coniunxerat, neque iter intermiserat. Testatus sum opinionem meam: docti iudicabunt. **MEAM** *professionem* & ex Italia. ep. 29. lib. 15. **DYMAEOS** *&c.* Pompeius, ut Plutarchus scribit, captis piratis, magnam eorum partem constituerat in agro Dymaeos: quod erat & fertile territorium, & a cultoribus infrequens. ij postremo pulsi ea sede, quam assignatam a Pompeio per aliquot annos tenuerant, rursus se ad piraticam ueterem artem contulerunt. Dyme ciuitas est in Achaia. **MARE** *infestum habere* & pro, infestare. l. 3. de Rep. Cum quaereretur ex eo, quo scelere impulsus mare infestum haberet uno myoparone. Et Varro in lib. Rerum humanarum ita scripsit, ut est apud Donatum in commentarijs in Eunuchum: Cupes, & Marcellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. Sic, Solicitum habere, pro Solicitare, dixit Cicero non semel. **VIDENDVM** *est, ut mansio laudetur* & domi manere, quam proficisci maluisset, cum alijs de causis, tum quod a Dymaeis mare tutum non esset. ep. 2. Piratae apparere dicuntur. *ἐν δημοπλοία* **Bruti** & tutum putabat nauigare cum Bruto, itaque & infra: Haec nauigatio quia quaedam habet suspensiones periculi, constituebam uti *δημοπλοία*. epist. 4. **SED** *opinor minuta nauigia* & Brutum habere. **SED** *iam sciam* & quia Brutum conuenire uolebat: qui & ipse erat in Nefide, sed eum Cicero nondum uiderat. postea cum eum conuenisset, de nauigijs haec scripsit ad Atticum: Paratiorem offendi Brutum, quam audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicota: suntq. nauigia praeterea luculenta Sextij, Buciliani, ceterorum. *πειπέδον* & inanem timorem, & sine causa: forte quod Ventidius, qui erat Antonij amicissimus, coactis militibus aduentare diceretur. De Sexto & Pompeio. **AD** *arma* & rem esse uenturam. epist. 20. lib. 15. **SINE** *bello ciuili uideo seruiendum* & uidetur addendum, Non. ut dicat, Non sine bello ciuili seruiemus. **KALENDIS** *Ianuarij* & quo die magistratum erant inituri Pansa & Hirtius consules designati, eodemq. die relaturi de rep. ex ueteri consuetudine: quod factum esse, docent duae Philippicae v. & vi. *ἄσπερος πολὺς* & se ipse accusat, qui dixerit in Pansa spem esse; cum ab ijs, qui se crapulae & inertiae dederunt, sperari nihil posset. **CICERONIS** *rationes explicantur* & uelim uideas, quantum acceperit Cicero meus. cui si minus datum est, quam nos ei annum in sumptum daturos esse promissimus: quod ei reliquum deberi ex rationibus cognosces, persoluetur. epist. 15. lib. 15. **HS** *lxxxi* *satis esse* & Ciceroni filio, cui **HS** *lxxxii* assignata fuerant in annum sumptum. **XENONEM** & hic, Attico mandante, pecuniam Athenis Ciceroni numerabat, sed perexiguae, multisq. pensionibus concisam. ep. 3. **Id** *est minuatum* & ut opinor, & certe hoc abundat. fuit enim glossema ad graecam dictionem, *γλίχρωσις*, receptum in epistolam ignorantia describentium. **QVO** *plus permutasti &c.* & scis conuenisse, ut Ciceroni tantum daremus, quantum reciperetur ex insularum fructu. eo si quid plus Athenis permutasti Ciceronis causa, uolo id ei concedatur supra annum pensionem, pro sumptu, quem primo anno fecit dum Athenas proficiscitur. **INSVLARVM** & in Argileto, & Auentino. ep. 31. l. 12. & 17. lib. 15. **HINC** *ex kal. Apr.* & quoniam assignauimus Ciceroni quantum ex insulis reciperetur, deinceps detur ei ad **HS** *lxxx*: quoniam tanti nunc insulae locantur, quae antea tantummodo **lxxx** locabantur. Ex Kalendis autem Apr. quia Ciceroni filio id erat anni temporis initium, uide ep. 15. **VIDENDVM** *enim est &c.* & curandum nobis est, ut sit, quod filius in sumptum habeat, cum Romae erit. cum enim Publicae uxoris meae matrem ferre non possim, diuortium erit faciendum: ita dote reddita, re familiari comminuti, unde filio suppeditabimus? **Se** *Catonem.* & amantissimum reipublicae. quod in Quinto filio desiderabatur. uide ep. 19. lib. 14. & 4. huius lib. **VT** *tibi sponderem* & cum fore Catonem, idest hominem in omni uita perfectissimum. *Motum* &

motum 3 me fidem habuisse uerbis Quinti filij. Sed ego 3 ἀποσιώπῃς, ueteribus usitata, ad indicandum animum oratione repressa. ATTRIBUTIONEM, 3 quam in eum diem ait esse collatam. Et Attributionem posuit pro solutione pecuniae, quam debebat Quintus filius. ep. 41. lib. 13. & 21. lib. 15. VRGERI 3 a creditoribus.

Cicero S. D. Attico. 2.

VI idus duas epistolas accepi, unam a meo tabellario, alteram Bruti. De Buthrotijs longe alia fama in his locis fuerat: sed cum alijs multis hoc ferendum. Erote remissi citius, quam constitueram ut esset cum Hortensio, & quia equitibus quidem ait se idibus constituisse. Hortensius uero impudenter nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quae est kal. Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. sed haec Eros uidebit idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. sed cum uideas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis cccc HS, cc praesentia soluerimus, reliqua perscribamus, loqui cum eo, si tibi uidebitur, poteris, eum commodum nostrum expectare debere, cum tanta sit a nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice, (uides ne quam blande?) omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me expectes. quamquam enim reliqua satis apta sint ad soluendum: tamen sit saepe, ut ij, qui debent, non respondeant ad tempus. si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius, non modo uerisura, uerum etiam uenditione, si ita res coget, nos iudicabis. Bruto tuae litterae gratae erant. fui enim apud illum multas horas in Nesiide, cum paullo ante tuas litteras acceperissem. delectari mihi Tereo uidebatur, & habere maiorem Attio, quam Antonio, gratiam. mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi, & molestiae est, populum R. manus suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere. mihi quidem uidentur istorum animi incendi etiam ad repraesentandam improbitatem suam. sed tamen,

dum modo doleant aliquid, doleant quidlibet, Consilium meum quod ais quotidie magis laudari; non moleste fero; expectabamque, si quid de eo ad me scriberes. ego enim in uarios sermones incidebam: quin etiam incirco trahabam, ut quam diutissime integrum esset. sed quoniam Euro ulla extrudimur, Brundisium cogito. facilius enim, & exploratior deuitatio legionum fore uideretur, quam piratarum, qui apparere dicuntur. Sextius uero id. expectabatur, sed non uenerat quod sciam. Cassius cum classicula sua uenerat. ego, cum eum uidissem v. Kalendas, in Pompeianum cogitabam, inde Aculanum. nosti reliqua. De Tutia ita putaram. De C. Metio non credo, nec tamen curo plus quam tu. Planco, & Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi uidebitur, ne necesse habueris reddere: cum enim tua causa fecerint omnia; uereor, ne meas litteras superuacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique: quem tibi amicissimum cognoui. uerum, ut uoles tu. Quoniam scribis biematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eo ueneris, quam mihi in Italiam te auctore ueniendum est. litteras ad me quam saepissime, sed de rebus minus necessarijs aliquem nactus: sin autem erit quid maius, domo mitto. Ἡρακλῆιδιον, si Brundisium salui, adoriemur. de Gloria misi tibi. custodies igitur, ut soles: sed noentur eclogarij. quos Saluius, bonos auditores nactus, in conuiuio dumtaxat legat. mihi ualde placent: mallet tibi. Etiam atque etiam. Vale.

EXPLANATIO

LONGE alia fama: 3 scribis, agrum Buthrotium dici a Planco diuisum agripetis: at nos hic contra Laudieramus, agripetas a Buthrotijs concisos, & eictos, ep. I. Ut esset cum Hortensio, 3 Hortensius, Cluij heres, quae illi bonorum Cluiuanorum pars ex hereditate obuenerat, eam Ciceroni uendidit coheredi, pactus ut pecunia sibi tribus pensionibus numeraretur. ex ijs pensionibus Cicero duas soluerat, & maiorem etiam tertiae partem ante diem solutioni praefinitam, idest ante Kal. Sextilis: ut impudenter faceret Hortensius, qui, quod sibi ex tertia pensione deberetur, ante diem postularet, cum praesertim eius ipsius pensionis maiorem iam partem exegisset. Hac de re ep. I. cum inquit: Diligentia opus est, coheredibus pro Cluiuiano Kalendis Sextilibus persolutum ut sit. Quo ex loco, non Hortensium modo, sed & ceteros coheredes Ciceroni uendidisse, quae illis Cluiuius testamento legauerat, perspicuum est. Et quia equitibus: 3 ut infra patet, Publilium & Publilij propinquos significare uideretur; qui erant ex ordine equestri. Publilium enim cum dimisisset, urgebatur a Publilio fratre de dote reddenda. cui Eros, qui Ciceronis domesticas rationes dispensabat, promiserat se esse idibus perscripturum. In antiquo Bessarionis libro, pro Equitibus, scriptum est, Equid. Quod perscribi oportet, 3 Perscribere, est creditori, non praesenti pecunia numerata, sed per scriptum satisfacere. Sic enim Donatus explanat illud in Phormione: Perscripti omnibus, quibus debui. Nec Ciceronis exempla non idem ostendunt. De iure nostro decesserimus: 3 plannum fit ex hoc loco, intra certam diem reddendam fuisse dotem ab ijs, qui diuortium fecerant. Cicero autem de suo iure decedens, etiam ante eam diem, exceptis cc HS, omnem dotem numerauerat. de quibus cc ut sibi fieret perscriptio, Publilius urgebat. epistola 5. Qui de residuis cccc HS 3 qui cum apud me residua essent ex dote HS cccc, neque dum solutionis dies adesset, ex ijs ipsis tamen cccc HS praesentia soluimus cc, reliquorum facimus perscriptionem. Praesentia 3 nulla interposita mora; in Verrem libro 111. Praesens pecunia soluitur. IACTURA facta iuris 3 cum tanto ante diem soluerimus, de nostro iure sponte decedentes. Sic infra, epistola 5. Publilius non debet

Ee e uergerc:

urgere : quoniam iure non utimur. **QVOD** *eris Romae* § nam & Atticus ex Italia discedere cogitabat. itaque epistola 27. lib. 15. Praeclare, inquit, quod te consolata est spes breui tempore congregandi. & epistola 3. **NIHIL** *a me expectes* § nihil ad me referas, sed agas ipse quod ageres in rebus tuis. epistola 3. lib. 13. Illud non accipio in bonam partem, quod ad me refers. quid ipse negotium meum gererem, nisi consilio tuo? **RELIQVA** § collatis creditorum & debitorum nominibus, cum eam pecuniam, quam ipsi debemus, & quam alij nobis, redigimus in summam, id, quod superat a nobis, Reliqua dicuntur. epistola 5. lib. 15. **FAMA** *mea* § magnam enim subirem discrimen existimationis meae, nisi ad tempus, quibus debeo, solueretur. **Nos** *uindicabis* § nostris creditoribus satisfacies. **IN** *Neside*, § hunc in Neside congressum significans Philippica X. Brutum, inquit, his ipsis ludorum diebus uidebam in insula clarissimi adolescentis Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace & concordia ciuium cogitantem. **Nos** *autem* parua insula. Lucanus, & Papirius laborare eam graui caelo uersibus ostendunt. **DELECTARI** § gaudere, quod ludis Apollinaribus Tereum, Attij tragoediam, populo recitatum, magno plausu clamoreq. acceptam ex tuis litteris cognouerat, epist. 4. & in 6. Philippica, ad extremum. **QVAM** *Antonio* § cum maiorem habere Antonio debeat, plausum enim populus non ideo dedit, quod Attij admiraretur ingenium, sed quod Antonium oderit. Bruto Brutiq. similibus inimicum. itaque plausum illum Antonio magis, quam Attio, Brutus debet. uel, Antonio, C. Antonio, Marci fratri, praetori, qui curauit eos ludos absentis Bruti nomine. Appianus lib. 3. **MANVS** *suas non in defendenda rep. sed in plaudendo consumere* § Simile illud Varronis: Patres familiae manus mouere in theatro, ac circo maluerunt, quam in segetibus, ac uinetis. **ISTORVM** § Anronium maxime significat, qui patriae liberatores oderat, ad tyrannidem spectans. **INCENB** § irritari, quod uideant populum Bruto absentis plausum dare. **REPRaesentandam** § citius aliquanto, quam fecissent, ostendendam. **DOLEANT** § dolebant quod populus Romanus Bruti absentis desiderium illo plausu declararet. **CONSILIUM** *meum* § discedendi ex Italia. **TRAHEBAM** § procrastinabam. uide epist. 25. lib. 15. **BRUNDISIUM** *cogito* § ut ibi potius conscendam, quam Puteolis, Epist. 21. l. 15. **Iuua** *me consilio*, Brundisio ne, an Puteolis. & epist. 20. eiusdem lib. **LEGIONVM** § quas ab Antonio accersitas, profectas e Macedonia, Brundisium aduentare fama erat. Brundisium tamen, & iter illud postea uitauit, ut ipse narrat in 1. Philippic. **PIRATARVM** § dymeos intelligit, qui agro pulsi mare infestum habebant, epist. 1. **EXSPECTABATUR** § a Bruto, ut una discederent. epistola 4. **V. KAL.** § cum Cassius iam uenisset, nimirum uel eo die, quo haec scripta sunt, uel postridie uisurus eum Cicero fuit, quod si, cum eum uidisset, abire in Pompeianum cogitabat, non recte scriptum est, **V. KAL.** non enim tot dierum interuallum esse potest, cum dicat se discederum a Cassij congressu. Potius igitur (nihil tamen uiuo repugnantibus antiquis libris: tantum indicare placet meam sententiam) legendum uideretur, **V. idus** ut sequentem diem significet. nam haec scripsisse apparet **V. idus**. **ACVLANAM** § forte, Herculanium: quod a Pompeijs non longe Plinius in Campaniae litore constituit. **NOSTI** *reliqua* § scis enim, inde me Brundisium cogitare. **SCRIPSI** *equidem*, § commendans illis rem Buthrotiam. **Ne necesse habueris reddere** § ne putato, reddi meas litteras, necessarium esse. Eas enim Cicero ad Atticum mittebat, ut ipse Planco & Oppio redderet. **OPPIO** *quidem utique* § sobaudi, Ne putaris necessarium reddere. **QVAM** *mibi in Italiam te auctore ueniendum est*. § idest ante mensem Ianuarium. Nam Atticus auctor erat Ciceroni, ut omnino Romae adesset Kalendis Ianuarijs; quod eo die futurum erat ut a nouis Pansa & Hirtio cos. de rep. referretur. ep. 6. Meae profectiois approbator fuisti, dummodo Kalendis Ianuarijs Romae essem. & epist. 5. **ALIQUVM** *naetus* § quemcumque habueris, cui des. **DOMO** § domesticis tabellarijs. **ἡρακλῆδίου** § quod tu a me tantopere postulasti. epist. 4. l. 3. & 27. lib. 15. **NOTENTVR** *eclogarum* § notentur aut minio, aut quapiam simili re nomina eorum, qui in his libris de Gloria loquuntur. **QVOS** *Saluius* § quos libros de Gloria Saluius anagnostes tuus, bonos naetus auditores, in conuiuio tantum uelim legat.

Cicero S. D. Attico. 3.

TV nero sapienter. nunc demum enim rescribo *his* litteris, quas mihi misisti, conuento Antonio Tiburi. sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiam ultro gratias egisti. certe enim, ut scribis, desernitur ocys a rep. quam a re familiari. quod uero scribis te magis delectari, **O TITE SI QUID** *EGO*: addis mihi scribendi alacritatem. Quod Erotem non sine munusculo expectare dicis; gaudeo non sefellisse eam rem opinionem tuam. sed tamen idem **οὐ τὰ μὲν** nisi ad te retractatus, & quidem **ἀπὸ τῶν** ipsum, crebris locis inculcatum, & reserctum. hunc tu translatum in macrocolum lege arcano conuiujs tuis, sed si me amas, hilaris, & bene acceptis: ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati. De Cicerone, uelim ita sit, ut audiuimus. De Xenone, coram cognoscam: quamquam

nihil ab eo arbitror neque indiligenter, neque illiberaliter. De Herode, faciam, ut mandas, & ea, quas scribis, ex Saufeio, & e Xenone cognoscam. De Quinto filio, gaudeo tibi meas litteras prius a tabellario meo, quam ab ipso, redditas. quamquam te nihil sefellisset. uerum tamen. sed exspecto, quid ille tecum, quid tu uicissim: nec dubito, quin suo more uterque. sed eas litteras Curium mihi spero redditurum: qui quidem etsi per se est amabilis, a meq. diligitur; tamen accedet magnus cumulus commendationis tuae. Litteris tuis satis responsum est. nunc audi, quod, etsi intelligi scribi necesse non est, scribo tamen. Multa me mouent in discessu, in primis mehercule, quod disingor a te. mouet etiam nauigationis labor, alienus non ab actum solum nostra, uerum etiam a dignitate; tempusque discessus

discessus subabsurdum. relinquimus enim pacem, ut ad bellum reuertamur; quodq. temporis in praediolis nostris, & belle aedificatis, & satis amoenis, consumi potuit, in peregrinatione consumimus. Consolantur haec, aut proderimus aliquid Ciceroni: aut, quantum profici possit, iudicabimus, deinde tu iam, ut spero, & promittis, aderis. quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum, quae quamquam explicata sunt; tamen, quod & Dolabellae nomen in ijs est, & attributio est mihi nominum ignota, conturbor, nec ulla res magis angit ex omnibus. itaque non mihi uideor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut, si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subuenirent, meq. tibi etiam mandasse, ut, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares, quod facies, si tibi uidebitur, eoque magis, si proficisceris in Epirum. Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decem scalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum, & non amas Eram? qui, ut Blesamius uenit ad me, cum ei praescriptum esset, ne quid sine Sextij nostri sententia ageret, neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Atticum nostrum cupio suauari: ita mihi dulcis salus uisa est, per te missa ab illa. refers igitur ei plurimam etiamq. Piliae dicas uelim. Vale.

EXPLANATIO

QUOD manus dedisti, & quod Antonij sententiam (opinor, de re Buthrotia: nam publicam nulla ex parte Pomponius attingebat) etsi non probandam, probasti tamen, manusq. dedisti, ut etiam ultro gratias egeris. **A RE familiari** & ratio, cur Atticus etiam gratias egisset Antonio, nam, etsi magnam rei familiaris iacturam faciam, si Buthrotium negotium eripitur: (his fere uerbis, aut certe in hanc sententiam Atticus scripserat) tamen huiusmodi iacturam eo tolerabilius aequum est ferre, quod a rep. citius, quam a re familiari, deseremur. **MAGIS delectari**, o Tite, si quid ego: & totum hoc, O Tite, si quid ego, ideo scripsi litteris grandiusculis, ut intelligatur initium libri de Senectute, quo quidem libro se delectari Atticus scripserat, quia suam senectutem, quam publicae ruinae grauiorem in dies efficerent, eius lectione leuaret. Et ait, Magis, propterea quod medicinae uim magis aegrotantes sentimus, quam ualentes. Etiam ep. 10. O Tite, tibi prodesse laetor. laetor, inquit, quod ea, quae scripsimus in libro de Senectute, tibi ad ferendam senectutem profint. Quod autem, Si quid ego, reposui in nostro libro, ubi antea in omnibus, & impressis, & scriptis, legitur, Siquid agis, aut, Ages: fecimus id coniecturam minime dubiam secuti, est enim initium libri de Senectute, ad Atticum scripti: O Tite, si quid ego adiuro, curam ue leuassio. **ALACRITATEM** & quandoquidem te delectant ea, quae scribimus, **GAVDEO non sefellisse &c.** & munusculum enim ad te perferendum Eroti dedi, duos libros de Gloria. **IDEM σύνταγμα** & eosdem libros de Gloria, quos Eroti dederam, postea retractatos, & relectos denuo mihi, sed ἀρχέτυπον ipsum, cum antea descriptum exemplar misissem. **MACROCO-LVM** & regiam chartam a Catullo dictam uide epist. 25. lib. 13. **LEGE Arcano** & ne quis audiat praeter conuiuias tuos, quod supra monuit his uerbis: Saluius in conuiuium dumtaxat legat. Antea, Lege in Arcano, sustuli particulam, In, Carisium secutus, qui hunc locum recitat, & ait Arcano dictum esse Arcane, praeterea consentire uidentur antiqui libri, nam in scripto Bessarionis, Legi arcano, sic & Caesar locutus libro 1. de bello ciuili: Domitius arcano cum paucis familiaribus suis colloquitur. Et Plautus in Trin. Arcano tibi ego hoc dico. Sic, Assiduo, pro assidue, idem dixit in Truc. **UT audiuius** & audiebat autem praecleara, epist. 16. lib. 15. **CORAM** & cum Athenis ero. **NEQVE indiligenter, neque illiberaliter** & hic Athenis pecuniam Ciceroni filio sumministrabat, sed neque diligenter, & satis illiberaliter, itaque ep. 1. Xenonem, inquit, perexigue & γλαχρως praebere. **DE Herode** & hic Athenis uiuebat, ep. 15. lib. 15. **GAVDEO tibi &c.** & ut cognosceres, illum tibi litteras a me redditurum, ipsius arbitratu scriptas; sciresq. nolle me, ut ijs litteris mouereris. **Suo more uterque** & tu sapienter, ille stulte. **EAS litteras** & quibus ad me scribes dialogum tuum cum Quinto filio. **COMMENDATIONIS tuae** & scripserat enim Atticus, se esse litteras ad eum commendaticias Curio daturum. **RELINQUEMVS pacem** & Q. Fulius Calenus, ut ait Dio libro XLVI. Ciceroni, acerbe in Antonium inuecto, non minus acerba oratione respondens, ait eum, quod otium non ferret, discessisse, postea, tumultu & bello inter ciuites orto, reuertisse, quasi amator esset contentionum, pacis inimicus. **UT ad bellum reuertamur** & apparebat enim ad paucos menses fore bellum, cum & Antonius Octaniusq. grauius inter se dissidentes iam in armis essent, & Sex. Pompeius uentare cum exercitu diceretur; praeterea magnum Antonij cum Decimo Bruto certamen impendere de Celtica prouincia, ep. 4. **ADERIS** & uenies in eas regiones, epist. 2. **RELIQVORVM meorum** & diximus, reliquorum nomine eam pecuniam intelligi, quae, subductis rationibus, & collatis creditorum debitorumq. nominibus, superat a nobis, epist. 15. lib. 15. **DOLABELLAE nomen** & a quo pecuniam exigere, difficillimum sciebat, epist. 18. lib. 14. & 13. lib. 15. **ATTRIBVTIO est mihi nominum ignota** & quae nobis exigenda tradidit Dolabella, epist. 13. lib. 15. **UT non concurrerent nomina** & ut ad tempus non responderent ij, qui debent, epist. 2. **NON amas Eram?** & in oratione pro Deiotaro Hieram & Blesamium eius legatos nominat, ut fortasse & hic, Hieram, legendum sit, Et est dictum εἰρηνοποιός, cur, inquit, Eram aequae, atque Deiotarum, odio dignum non putas? qui, cum ei praescriptum esset a Deiotaro, ne quid sine Sextij nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Miserat autem eum Deiotarus, ut Armeniam, sibi a Caesare ereptam, emeret ab Antonio: quod factum est, Fulvia, quae Antonij uxor erat, intercedente, id

est; cum Deiotari legatis de pretio pacifcente: unde illud ep. 12. 1. 14. Deiotarus noster dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Armeniam autem cum Deiotaro Antonius accepta grandi pecunia uenderet, dixit se restituere ex Caesaris libellis. quod ei Cicero 2. oratione in criminibus obiicit his uerbis: Quid ego de commentarijs infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? sunt ea quidem innumerabilia, quae a diuersis emebantur non insciente te: sed unum egregium de rege Deiotaro, populo R. amicissimo, decretum in Capitolio fixum, quo proposito, nemo erat, qui in ipso dolore sum posset continere quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? & quae sequuntur. Neque ad illum, neque ad quemquam nostrum? & de hoc in eadem Philippica paulo post, Syngrapha HS centies per legatos, uiros bonos, sed timidos, & imperitos, sine reliquorum hospitem regis sententia, facta in Gynaeco. DICAS; Atticae referes. Piliae dices: quia non, ut Attica, salutem miserat Piliae.

Cicero S. D. Attico.

4.

ITA ut heri tibi narraui, uel fortasse hodie, (Quintus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII. idus. ibi Brutus, quam ille doluit de nouis Iulij. mirifice est conturbatus. itaque sese scripturum aiebat, ut uenationem etiam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proferberent, 11. idus Quint. Libo interuenit. is Philonem, Pompeij libertum, & Hilarum suum uenisse a Sexto cum litteris ad consules, sine quo alio nomine sunt. earum exemplum nobis legit, si quid uideretur. pauca παρα λέγω: cetero qui & satis grauitur, & non contumaciter tantum addi placuit, quod erat, cos. solum, ut esset, PRAET. TRIB. PL. SENATVI; ne illi non proferrent eas, quae ad ipsos missae essent. Sextum autem nunciauit cum una solum legione fuisse Carthagine, eiq. eo ipso die, quo opidum Boream cepisset, nunciatum esse de Caesare: capto opido, miram laetitiam, commutationemq. animorum, concursumq. undique; sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, reuertisse. ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Haec fere de Sexto. De Buthrotijs undique quaerens nihil reperiebam. alij, concisos agripetas: alij, Plancum, acceptis numeris, relietis illis, aufugisse. itaque non uideo sciturum me, quid eius sit, nisi statim aliquid litterarum. Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum uidetur. legiones enim aduentare dicuntur: haec autem nauigatio habet quasdam suspiciones periculi: itaque consulerem uti ἐπιπλοῖα. paratiorum offendi Brutum, quam audiebam. nam & ipse Domitius bona plane habet dicota, suntq. nauigia praeterea luculenta Sextij, Buciliani, ceterorum. nam Cassij classem, quae plane bella est, non numero, ultra Tretum. illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare uidetur. primum confectorum ludorum nuncios expectat: deinde, quantum intelligo, tarde est nauigaturus, consistens in locis pluribus. tamen arbitror esse commodius tarde nauigare, quam omnino non nauigare. etsi cum processerimus, exploratiora uidebuntur, & rectis utemur. Tuas iam litteras Brutus expectabat: cui quidem ego non nouum attuleram de Tereo Attij. ille Brutum putabat, sed tamen rumoris nescio quid afflauerat, commissione Graecorum, frequentiam non fuisse: quae quidem me minime sefellit: seis enim, quid ego de Graecis ludis existimem. nunc audi quod pluris est, quam omnia. Quintus fuit mecum dies

complures, & si ego cuperem, ille uel plures fuisset: sed, quantum fuit, incredibile est, quam me in omni genere delectarit, in eoq. maxime, in quo minime satisciebat. sic enim commutatus est totus & scriptis meis quibusdam, quae in manibus habebam, & assiduitate orationis, & praeceptis, ut tali animo in remp. quatinos uolumus, futurus sit. hoc cum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset; egit mecum accurrere multis uerbis, tibi ut sponderem, se dignum esse, & nobis futurum; neque se postulare, ut statim crederes, sed, cum ipse perspexisset, tum ut se amares, quod nisi fidem mihi fecisset, iudicassetq. hoc, quod dico, firmum fore; non fecissem id, quod dicturus sum. duxi enim mecum adolefcentem ad Brutum. sic ei probatum est, quod ad te scribo, ut ipse crediderit, & sponforem accipere noluerit, eumq. laudans amicissime mentionem tui fecerit, complexus, osculatusque dimiserit. quamobrem etsi magis est, quod gratuler tibi, quam quod te rogem; tamen etiam rogo, ut, si quae minus antea propter infirmitatem aetatis constanter ab eo fieri uidebantur, ea indices illum abiectis mihiq. credas, multum allaturum, uel plurimum potius, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam. Bruto cum saepe iniecissem de ἑμπελοῖα, non perinde, atque ego putaram, arripere uisus est: existimabam μετρώπορος esse: & hercule erat, & maxime de ludis: at mihi, cum ad uillam redissem, C. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narrauit, illum ualde morari, non tergiuersantem, sed expectantem, si qui forte casus itaque dubito, an Venisiam tendam, & ibi expectem de legionibus: si aberint, ut quidam arbitrantur, Hydruntem: si neutrum erit, acerbis, eodem reuerear. iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet praeter te: etenim circumspecte: sed ante erubescio. O dies in auspicijs Lepidi descriptos, & apros ad consilium reditus nostri magna perit ad proficiscendum tuis litteris, atque utinam te illic. sed ut conducere putabis. Nepotis epistolam expecto. cupidus ille meorum? qui ea, quibus maxime iungitur, legenda non putet. & ais uer' ἀπό μοῦ: tu uero ἀπό μοῦ ille quidem ἀπερτοῦ. Mearum epistolarum nulla est σωρευση. sed habet Tiro instar septuaginta. & quid sunt a te quaedam sumendae. eas ego, oportet, perspicuam, corrigam, tum denique edentur.

EXPLANATIO

ITA ut heri &c. § ut in litteris, quas ad te scripsi, heri legisti, uel fortasse hodie, (Quinctus enim, cui eas litteras dedi, altero se die Romae futurum aiebat) in Nefida ueni 11 xidus, ut sit, Ita ut heri, principium epistolae. DE nonis Iulij § quod in ludorum suorum proscriptione, nonis Iulij, legitur, uide nostram interpretationem ad illud, Ita ne, nonis Iulij? epist. 1. huius lib. A SEX. § Pompeio, Libonis genero, ut ex Diono cognoscitur. SIVE quo alio nomine § quasi consules appellandi non essent Antonius, & Dolabella, qui non agerent quod consules deceret. SI quid uideretur § ut contingeremus, si quid uideretur. PAUCA *παρὰ λέγειν* § nonnulla minus proprie dicta. NON contumaciter § sine superbia. QVOD erat, eos, solum § Sextus epistolam suam ita inscripserat: Sext. Pompeius Cn. F. cos. S. D. nos addidimus, Praetoribus, tribunis pl. senatui. DE Caesare § Romae occiso. IN ulteriore § Hispania. NIHIL esse &c. § se non discessurum ab armis, nisi si paterina domus restitueretur. eam autem ab hasta Caesaris emptam possidebat Antonius. Philippi ca 2. Vt omnes exercitus dimittantur § se non esse exercitum dimissurum, nisi omnes omnium exercitus dimitterentur. uide illud, Ab armis nullus discederet. epistola 22. lib. 15. NIHIL reperiebam. § quod certum uideretur. CONCISOS agripectas § idem epist. 29. lib. 15. & 1. huius lib. ACCEPTIS *nummis* § a Butthorij. RELICTIS illis § agripectis: quos secum duxerat, ut agrum eis Butthorij assignaret. Quid eius sit § quid de ea re sit. Quo de genere loquendi plura diximus lib. 7. act. 2. in Ver. in eo loco, Quid eius sit, uos coniectura quoque assequi debetis. ALIQUID *litterarum* § ad me miseris. DVBITABAM, § incertus eram, utrum irem Brundisium, an Puteolis conscenderem. epist. 2. lib. 15. SVBLATVM uideretur § non est cur Brundisium ire debeam. quo tamen te scripserat iturum epist. 2. HAEC autem nauigatio § si Puteolis contendo. SVSPICIONES periculi § propter piratas, ep. 1. & 2. *ἐμπλοία* § societate nauigandi. ET ipse Domitius § Cn. Domitius, qui cum Bruto nauigaturus erat, unus de percussoribus Caesaris, Ahenobarbi filius ex Porcia Catonis sorore. epist. 46. lib. 13. & Philippica 11. SECTII, *Buciliani* § & hi Caesarem percusserant. auctor Appianus lib. 11. VITRA Fretum § qua usurus non sum, quod Syriam, non, ut Brutus & Domitius Graeciam, petet, erat autem ultra Fretum Siculum. EXPLORATIORA uidebuntur § a piratis tuta nauigatio. tarde igitur portus cum Bruto nauigabo, quam ut omnino non nauigem, & si, cum processerimus, exploratiora uidebuntur, omnia *ἐμπλοία* uel *τέλεις* uentur, celerim in genere nauiculae. Testae nomen, ut opinor, a Testae similitudine deriuatum Iuuenalis satyra xv. Et breuibus pictae remis incumbere testae. NON nouum § sententia negantem particulam respuit. DE Tereu. *Attij* § quod Tereu, Attij tragoediam, populis magno plauti accepisset. ep. 2. BRVTVM § aliam Attij tragoediam, de L. Bruto, qui Tarquinium regem eiecit, M. Bruti iudis actam, de hac tragoedia Cicero in ea pro Sextio: & de Diu. L. I. & apud Var. de L. L. lib. ix. NESCIO quid afflauerat § nescio quid rumoris affluerat. Absolute dictum: non, ut alibi, *ἐπιπλοία*. Vt in Catone: Suauitatem odorum, qui afflaret e floribus. Et Lucretius, lib. vi. Fornacibus esset. Et ibidem: Atque efflare foras. COMMISSIONE *Graecorum* § cum Graeci ludi committerentur, infrequentem populum affuisse. *Commissione*: ipso initio. DE Graecis ludis existimem § minime dignos, qui spectentur. epist. 1. 17. QVINCTVS § filius. IN quo minime satisfaciebat § intelligit auariciam Quincti cum Antonio, & consensionem cum Caesarianis. epist. 14. 17. & 19. lib. 14. INTEGISSEM § in sermone. ARRIFERE § cupide amplecti. MORARI § nauigationem proferre. Si qui forte casus § si forte quid accideret eius modi, ut eum discedere non oporteret. DVBITO § cogitare coepi. nam antea statuerat nauigare cum Bruto: sed, eam morante, nouum consilium capit. EXPECTEM *de legionibus* § dum audiam, transijciant ne legiones e Graecia, an, ut quidam arbitrantur, nullae ueniant. Verebatur maxime, ne, si ipse Hydrunte, aut Brundisio: transijceret in Graeciam, incideret in legiones Macedonicas, quas in Italiam aduentare rumor increbuerat. epist. 21. lib. 15. & 4. huius lib. NEUTRVM § si neutrum erit utrum, neque Hydruntem ire, neque Venusiac manere. EODEM § in haec loca. CIRCVMSPICE § locus concisus, & obscurior, quam ut certam interpretationem afferre possimus. O DIES *epi* § descripti dies erant, quibus Lepidum, qui erat pontifex max. cum augurum collegio dare operam auspicijs oportebat. laetatur igitur, eam sibi fore causam, cur mature ad urbem redeat. erat enim augur. MAGNA *fortis* § ualde me ad professionem impellunt litterae tuae. in eadem enim regiones promittis te uenturum. ep. 27. lib. 15. & 1. huius lib. TE illio § adueniens inueniam. MEORVM § scriptorum. Et ais, *μετ' ἀμύμονα*. § scripserat Atticus ad Ciceronem, Cornelium Nepotem teneri magno desiderio scriptorum ipsius: sim ulq. Nepotem commendans, dixerat cum esse *μετ' ἀμύμονα*, cum Ciceronem ipsum intelligeret, & ab eo secundum Cornelium faceret. Cicero hanc laudem a te modeste amouens, ait Atticum ipsum esse *ἀμύμονα*, Cornelium uero *καὶ ἀβρότον*, id est, diuinum plane, & immortalem. Respicit autem ad uersum illum Homericum ex Odys. 11, quo Aiace laudans, ait eum formosissimum omnium fuisse *μετ' ἀμύμονα πάντων*.

Cicero. D. 2. omis

Cicero

Cicero S. D. Attico.

5.

EGO adhuc (perueni enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue nauigauit: remis enim magnam partem: prodromi nulli, illud satis opportune. duo sinus fuerunt, quos transmitti oportet, Paestanus, & Vibonensis: utrumque pedibus equis transmisimus. ueni igitur ad Sicam, octauo, die e Pompeiano; cum unum diem Veliae constitissem: ubi quidem fui sane libenter apud Thalnam nostrum: nec potui accipi, illo absente praesertim, liberalius. ix. Kalen. igitur ad Sicam, ibi tamquam domi meae scilicet: itaque obduxit posterum diem, sed putabam, cum Rhegium uenissem, fore, ut illic, *δολεχόν πλοῦν ὀρμαίνοντες*, cogitarem, corbita ne Patras, an Aegina ad Leucopetram Tarentinorum, asi inde Corcyram: & si oneraria, statim ne Freto, an Syracusis, hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule *ἢ ἄττι* Attice, saepe mecum, *ἢ δὲ ἴδῃς σοὶ τὴν δῶτα*; cur ego tecum non sum? cur, ocellos Italiae, uillulas meas non uideo? sed id satis, superque, tecum me non esse, fugientem periculum. nec id nunc quidem, nisi fallor, ullum est, ad ipsum enim reuocat me auctoritas tua, scribis enim, in caelum ferri profectio- nem meam, sed ita, si ante, kal. Ian. redeam: quod quidem certe enitar; malo enim uel cum timore domi esse, quam sine timore Athenis tuis, sed tamen prospice, quo

ista uergant, mihi, aut scribe, aut, quod multo malim, affer ipse, haec haftenus. Illud uelim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curae sciam esse, quam ipsi mihi, nomina mea, per deos, expedi, exsolue: bella reliqui, sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluuiano kal. Sex. persolutum ut sit. cum Publio quomodo agendum sit, uidebis, non debet urgere, quoniam iure non utimur: sed tamen ei quoque satisfieri plane uolo. Terentiae uero quid ego dicam? etiam ante diem, si potes, quin, si, ut spero, celeriter in Epirum; hoc, quod satis dato debeo, peto a te, ut ante provideas, planeque, expedias, & solum relinquant, sed de his satis: me tuoque, ne tu nimium putes. nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi: & in eo proemium, id est, quod in Academico tertio, id euenit ob eam rem, quod habeo uolumen proemiorum. ex eo eligere soleo, cum aliquid *σύγγραμμα* institui. itaque iam in Tusculano, qui non meminissem meo ab usum isto proemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. cum autem in nauem legerem, Academicos, agnouit erratum meum: itaque statim nouum proemium exaravi, & tibi misi, tu illud defecabis, & hoc agglutinabis. Piliae salutem dices, & Atticae, delicis, atque amoribus meis. Vale.

EXPLANATIO

VIBONEM ad Sicam & contra ueteres libros, Ad Sicam restitui, cum legeretur, Et Sicam. significat enim, apud Sicam se esse, amicum suum, qui Vibone habitabat, & paullo post: xi. Kalen. igitur ad Sicam: ibi tamquam domi meae scilicet. Et quo tempore Clodia rogatione pulsus in exsulum abiit, Vibone item apud eundem Sicam diuersatus est: ut apparet epist. 4. lib. 3. **PRODROMI** & Aquilonis uenti exortum caniculae octo diebus antecedunt, ideo Prodromi dicti a praecurrendo. **PLINIUS**. **PEDIBVS** & siue nauis. **EQUIS** & quod aquae multo minus esset, quam soletet. **THALNAM** & cognomen esse Iuuentiorum, in Fastis obseruauimus. **OBDEXI** & consumpsi. *δολεχόν πλοῦν* & uide ep. xi. **CORBITA** & oneraria nauis. **AD LEUCOPETRAM TARENTINORUM**, & promontorium agri Rhegini appellat in Phl. 1. nec tamen, Rheginorum, pro Tarentinorum, reponendum censuerim, primum quia dissentire ab antiquis libris, praesertim mutatione tanta, non audeo: deinde, quia necesse non fuit indicare Attico regionem, in qua Leucopetra fuit, quippe, cui notissimum iter illud in Graeciam esset ob Epiroticas possessiones, malim equidem, si sit coniecturae locus, uerbum illud Tarentinorum, ut ab imperito additum, tollere potius, quam mutare. **STATIM NE FRETUM, AN SYRACUSIS** & statim ipsum Fretum transiciens in Graeciam recta nauigem, an prius deflectam Syracusas, inde in Graeciam. *ἢ δὲ ἴδῃς* & uide epist. xi. lib. 15. **ID SATIS, SUPERQUE** & saepe id iam scripsimus, tecum me non esse, quia periculum fugiam. In caelum ferri: & quod omnibus perspicuum sit, me periculi causa discedere. **AD KAL. IAN.** & a quo die sine periculo Romae esse licebit, Panfa & Hirtio cos. **EXPEDI, EXSOLUE** & omnino satisfacias quibus debeo. **BELLA RELIQUI** & reliqui unde fumeres ad meorum nominum solutionem. **COHEREDIBVS PRO CLUUIANO** & ut coheredibus meis, qui mihi uendiderunt, quod ipsis de Cluuiana re obuenerat, Kalendis Sextilibus id, quod debeo, persolutum sit. ep. 2. de Hortensio coherede, & epist. 45. lib. 13. de Hordeonio. **CVM PUBLIO** & huic Cicero pecuniam debebat ex dote Publiliae, quam dimiserat. **QUONIAM IURE NON UTIMUR** & quoniam de CCC HS ante diem CC numerauit; qui si uoluissem uti iure meo, diem solutionis spectassem, ut iniue facturus sit Publius, si de uenturis urgeat, uide ep. xi. l. 5. **ANTE DIEM** & subaudi, Terentiae numerum quod debemus. **IN EPIRUM** & uenturus es. ep. 3. **QUOD SATIS DATO DEBEO** & satisfato debet, qui creditori cauit fideiussores datis.

Cicero S. D. Attico.

6.

VIII. id. Sex. cum a Leucopetra profectus, (inde enim transmittendam) Stadia circiter CCC pro-

cessissem, reiectus sum Austro uehementi ad eandem Leucopetram, ibi cum uentum exspectarem, (erat enim nulla

in illa Valerij nostri, ut familiariter essem, & libenter) Rhagini quidem, illustres homines, eo uenerunt, Roma sane recentis, in ijs Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset, haec afferebant, edictum Bruti, & Cassij, fore frequentem senatum Kalendis a Bruto, & Cassio litteras missas ad consulares, & praetorios; ut adessent, rogare summam spem nunciabant, fore, ut Antonius cederet, res conueniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. quae cum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium professionis; quo mehercule ne antea quidem delectabar. leuissimis uero tuis litteris, admiratus equidem sum, te tam uehementer sententiam commutasse; sed, non sine causa, arbitrabar, etsi quamuis non fueris sauisor, & impulsor professionis meae, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ian. Romae essem, ita fiebat, ut, dum minus periculi uideretur, abessem, in flammam ipsam uenirem. sed haec, etiam si non prudenter, tamen diuina sunt, primum, quod de mea sententia acta sunt; deinde, etiam si te auctore quid debet, qui consilium dat, praestare praeter fidem? Illud admirari uis non potui, quod scripsisti his uerbis: Bene igitur tu, qui *ἔδωκεν ἀγίως*, bene relinquis patriam? An ego relinquebam? aut tibi tum relinquere uidebar, tu id non modo non prohibebas, uerum etiam approbas? & grauiora, quae restant. Velim *ἄξιον* aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere. Ita ne, mi Attice, defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mirabiliter approbas? ego uero istum *ἀπαλογισαμένον σωτῆρα ἔομαι*, sed ad eorum aliquem, quibus inuitis, & dissuadentibus profectus sum, etsi quid iam opus est *χολαίον*? si perseuerassem, opus fuisset, at hoc ipsum non constanter nemo doctus umquam (multa autem de hoc genere scripta sunt) mutationem consilij inconstantiam dixi esse. deinceps igitur haec *ἢ ἂ μ* si a Phaedro nostro, expedita excusatio esset, nunc quid respondemus? Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitij scilicet plenum, & dedecoris, utinam a primo ita tibi esset uisum, tu mihi, sicut esse soles, fuisset Cato. Extremum illud uel molestissimum. Nam Brutus noster silet: hoc est, non audet hominem id

aetatis monere. aliud nihil habeo, quod ex ijs a te uerbis significari putem. & hercule ita est. Nam xv. Kalend. Sept. cum uenissem Veliam, Brutus audiuit. erat enim cum suis nauibus apud Heletem fluiuium citra Veliam millia passuum *111*. pedibus ad me statim, diu immortales, quam ualde ille reditu, uel potius reuersione mea laetatus? effudit illa omnia, quae tacuerat: ut recordarer illud tuum, Nam Brutus noster silet. maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in caelum: se autem laetari, quod effugissem duas maximas uituperationes, unam, quam itinere faciendo me intellegebam suscipere, desperationis, ac relictionis reip. (stentes mecum uulgo quaerebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam) alteram, de qua Brutus, & qui una erant, (multi autem erant) laetabantur, quod eam uituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. hoc uero nihil turpius quouis reip. tempore. sed hoc *ἀναπολόγητον*. ego uero Austro gratias miras, qui me a tanta infamia auerterit. Reuersionis has speciosas causas habes, iustas illas quidem, & magnas, sed nulla iustior, quam quod tu idem alijs litteris: Prouide, si cui quod debetur, ut sit unde par pari respondeatur, mirifica enim *δύσκολα* est propter metum armorum. in Freto medio hanc epistolam legi, ut, quid possem prouidere, in mentem non ueniret mihi, nisi quod praesens me ipse descenderem. Sed haec haecenus, reliqua coram. Antonij edictum legi a Bruto, & horum contra, scriptum praecclare. sed quid ista edicta ualeant, aut quo spectent, plane non uideo, nec ego nunc ut Brutus censebat, istuc ad remp. capeffendam uenio. quid enim fieri potest? num quis Pisoni est assensus? num redijt ipse postridie? sed abesse hanc aetatem longe a sepulchro negant oportere. Sed obsecro te, quid est quod audiui de Bruto? Piliam *περὶ ἑσθῆος παραλίπαι*, te scripsisse aiebat. ualde sum commotus. etsi idem te scribere, sperare melius. ita plane uelim, ei dicas plurimam salutem, & suauissime Atticae. Haec scripsi nauigans, cum Pompeianum accederem, xiv. Kal.

EXPLANATIO

Cum a Leucopetra profectus & narrat idem in 1. Philippica his uerbis. Cum me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhagini, uenti detulissent; ab eo loco conscendi, ut transmitterem; nec ita multum prouectus, relictus Austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam. cumque intempesta nox esset, mansissemque in uilla P. Valerij, comitis, & familiaris mei; postridieque apud eundem uentum expectans manerem: municipes Rhagini complures ad me uenerunt, ex ijs quidam Roma recentis: a quibus primum accipio M. Antonij concionem: quae ita mihi placuit, ut ea lecta de reuersione primum coeperim cogitare, nec multo post edictum Bruti affertur, & Cassij: quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reip. quam familiaritatis gratia diligo, plenum aequitatis uidebatur. addebant praeterea, rem contenturam, Kalendis Sext. senatum frequentem fore, Antonium, repudiatis malis suatoribus, remissis Gallijs prouincijs, ad auctoritatem senatus esse rediturum. Proceffissem, & stantibus ad occidente eteijs: quod lib. 2. Met. docet Aristoteles. Ii uenti euntem in Graeciam Cicero neque uisiboni ciues, relinquentem remp. prosequi noluerunt. ep. 25. l. 12. fam. Ut adessent & in senatu. SENTENTIAM commutasse & qui cum antea meam professionem probaueris, idem nunc reprehendas. IN flammam ipsam uenirem & uide illud epist. 3. Relinquemus enim pacem, ut ad bellum reuertamur. Auectio *ἄξιον* & quod ego ex Italia discederem, dum periculi minus esset, eo consilio, ut Kalendis Ianuarijs adessem, cum omnia contentionibus arderent, omnino non prudenter faciebam: sed id tibi esse inuidiosum, aut ullam afferre infamiam non potest: primum, quod ego meam sententiam secutus, discedebam:

bam: deinde, etiam si te auctore, non debet is, qui consilium dat, quidquam praestare praeter fidem.
BENE igitur &c. § rectum igitur putas o Cicero patriam relinquere, dum *εὐδαιμονίας* sequeris? Et cum
 dixit Atticus *εὐδαιμονίας*, respexit ad id, quod Cicero scripserat ep. 20. l. 15. Ex hac nassa exire constiti,
 non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. **OPORTUISSE te istuc facere** § quo *σχολία* defendas pro-
 fectionem tuam, & ostendas oportuisse te discedere. **QUIBUS inuitis, & dissuadentibus** § nam tu qui-
 dem suasisti, ut discederem. **SI perseuerassem** § si petrexissem in Graeciam: sed uides me reuerti. **SI**
a Phaedro nostro § si hoc fieret a Phaedro nostro, facilis illi excusatio esset. sic enim responderet: Ego
 de honesto nihil cogito, dolorem fugio, summum bonum in uoluptate pono. nunc quid tu respondebis
 o Cicero, qui non, ut Phaedrus, Epicuream sectam, sed illam Socraticam, quae uirtutem & officium co-
 lit, es secutus? De Phaedro, epist. 1. lib. 13, fam. & alibi. **A PRIMO** § ante quam discederem. **FUISS**
SES Cato § numquam discessissem: tuum consilium, ut Catonis, essem secutus. **NON audeo &c.** § ni-
 mirum scribis Attice, ideo Brutum nihil dicere super discessione mea, quia me non audeat, hominem
 id aetatis, mouere, qui si auderet, me scilicet patriam relinquente[m] reprehenderet. alium enim te non
 arbitror significare. **VEL potius reuersione** § necessitas in dicatur. nam reditus tantum uoluntatis est,
 Reuersione igitur, quia, cum processisset, ab Austro retro uersus est, fam. lib. xii, epist. xxv. In Graeciam,
 inquit, desperata libertate, rapiebar; cum me Etesiae, quasi boni ciues, relinquente[m] patriam prosequi
 noluerunt; Austroq. aduersus maximo flatu me Rhegium retulit. & Philip. **EFFVDIT illa omnia, quae te**
cruerat § dixit me facere praedare, qui Romam reuenterem, abiecto discessionis consilio. **PISONEM** §
 in 1. Philippica: Ex Bruto primum cognoui, quae Kalen. Sextilibus in senatu fuisse L. Pisonis oratio, qui
 quamquam parum erat, a quibus debuerat, adiutus: tamen & Bruti testimonio, quo quid potest esse gra-
 uius? & omnium praedicatione, quos postea uidi, magnam mihi uidebatur gloriam consecutus. Et fam.
 ep. 1. lib. 12. Nec Pisoni, qui in Antonium primus inuectus est nullo assentiente; nec mihi, qui idem trice-
 simo post die feci; nec P. Seruilio, qui me est consecutus, tuto in senatum uenire licet. **RELICTIONIS**
reip. § antiqui libri, Religionis; ego tamen, Relictionis, probaui, ex correctione Beroaldi: non solum,
 quod parua mutatione sententia restituitur sanequam apta, & cum uerbo antecedenti optime conuen-
 tiens: uerum et, quod accusatione; in Verrem, ubi in uulgatis libris legitur. Illam reiectione[m], proditio-
 nemq. consulis sui, Massae scriptus habet, Relictionem proditio[n]emq. **QUAEREBANTVR** § ante qua[m]
 discederet, non enim loquitur de ijs, qui cum Bruto erant: sed eos intelligit, quibus discedens affirma-
 uerat, se celeriter esse rediturum. **NON probabam** § non persuadebam. **ME existimari ad Olympia.** §
 non ideo me homines discedere crediderant, quod in Graeciam ad spectaculum ludorum Olympiorum
 properarem. hanc igitur uituperationem reuertens effugi. **SED hoc** § tam turbulento reip. tempore si
 ad Olympia profectus essem, *ἀναπολόγητον* fuisset, id est, nulla prorsus ratione meum factum defendere
 potuissem. **GRATTIAS miras** § elegans figura sine uerbo. uenustius enim subintelligitur, Ago, quam
 legitur, itaque sustulit, approbante Bessarionis libro. **QVI me** § qui me in Graeciam nauigantem ad-
 uersus flatu maximo Rhegium retulerit. **SPECTIOSAS** § quia reuenteret, quod intelligeret: non esse de-
 sperandum de rep. ut exposuit epistolae initio. **PROUIDE** § provide, o Cicero, si cui quid debes, ut sit un-
 de tantumdem solui possit, quantum debetur. *δυσχερσία* § difficultas uersurae faciendae. quod cum
 ita sit, unde solues? ep. 4. **PRAESENS me ipse defenderem** § haec una prouidendi ratio mihi in mentem
 ueniebat, quod si Romae essem, ipse me contra meos creditores tueri possem, tu mei defendendi, aut ex-
 cusandi nullum onus sustineres. itaque uideo, mea etiam causa, non reip. modo, mihi esse reuertendum.
A BRUTO § datum. **HORVM** § Bruti & Cassij, praetorum, fam. epist. 3. l. xi. **CENSEBAT** § censebat
 Brutus, ut istuc uenirem ad remp. capessendam. **PISONI** § cui in senatu in Antonium inuidenti nemo
 assensus est armorum metu, fam. ep. 2. lib. 12. & Philippica 1. **REDIIT** § quasi non perstiterit in senten-
 tia. aut non redijt Antonij metu. **SED abesse &c.** § ideo redeo, quia senem, cui mors impendet, non
 decet longe abesse a sepulcro, id est a patria, in qua solemus sepulcrum nobis constituere. redeo igitur,
 ut, quidquid acciderit, in patria moriar. **DE BRUTO.** § a Bruto. **PILIAM** § uxorem tuam tentari mor-
 bo, quem *παράλιον* appellant.

Cicero S. D. Attico.

4.

CUM sciam, quo die uenturus sim, facia, ut scias. *impedimenta expectanda sunt, quae Anagnina ueniunt: & familia aegra est. kal. uespero litterae mihi ab Octauiano redditae sunt, magna molitur. ueteranos, qui qui Casilini, & Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam: nec mirum: quingenos denarios dat: cogitat reliquas colonias obire. plane hoc spectat, ut se duce bellum geritur cum Antonio. itaque uideo pacis diebus nos in armis fore, quem autem sequamur? uide nomen: uide aetatem, atque a me postulat, primum ut clā colloquatur, uel Capuae. puerile hoc quidem, si id putat*

clam fieri posse, docui litteris, id nec opus esse, nec fieri posse. misit ad me Caecinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui hoc pertulit, Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipijs impetrare, legionem sub signis ducere. consulta- bat, utrum Romam cum ∞ ∞ ∞ ueteranorum proficisceretur, an Capulam teneret, & Antonium uenientem excluderet, an iret ad tres legiones Macedonicas, quae iter secundum mare superum faciunt, quae sperat suas esse. haec conuictu ab Antonio accipere moluerunt, ut hic quidē narrat, & ei conuictu grāde fecerunt,

runt, concionantemq. reliquerunt. quid quaeris? duces se profectur, nec nos sibi putat deesse oportere. equidem suas, ut Romam pergeret uidetur. n. mihi & plebecula uoluntatis, & si fidem fecerit, etiam bonos secum habuerunt. o Brute ubi es? quantam de reip. amittis. non equidem hoc diuinavi, sed aliquid tale putavi fore. Nunc tuum consilium exquiro, Romam ne uenio, an hic maneo, an Arpinum? ἀσφαλῆλας habet is locus. fugiam Romam, ne desideremur, si quid actum uidebitur. hoc igitur explica. numquam in maiore aetopia fui. Vale.

EXPLANATIO

CASILINI, & Calabriae idem Velleius l. 2. QUINGENOS denarios: Appianus & Dio Drachmas uocant, sed, quia drachma paullo leuior est denario, cum octo apud Athenienses drachmae in uncia, denarij Romae septem ferirentur: ideo non solum Graeci scriptores Drachmam pro denario, sed Latini quoque denarium pro Drachma interdum usurparunt. VIDE nomen, uide aetatem & turpe nobis est sequi eum, qui & Caesar appelletur, & adolescens, ac paene puer sit. VEL Capuae & uide, quam puerriliter, qui putet uel Capuae clam necum posse loqui, non. n. postulat, ut obscuro in opido, aut in aliqua latebra eongrediamur, sed in urbe Capua. ALAUDARVM & Caesar legionem Alaudarum ab aue nominauit, quae Gallico uocabulo dicitur Alauda. Plinius, Suetonius. AD urbem pergere & Antonium ab urbe Octavianus auerit, quo ille in festum cum legione Alaudarum Brundisio ueniebat. Philippica 3. & fam. ep. 2. l. 1. 2. LEGIONEM sub signis ducere & in omnibus libris, & impressis, & scriptis, Legionem suis signis ducere nos ex obseruatione latinarum locutionum, quarum genera in usum nostrum notare conuenimus, & hic, & alibi mendum deprehendimus. legiones enim sub signis ducere, & sub signis habere, uisitata figura ueteres dicebant. Lucretius lib. v.

, , At non multa uirum sub signis millia ducta
, , Vna dies dabat exitio.

Placus, fam. ep. 8. l. 10. Legiones habeo quinque sub signis. & A finius, eodem libro: Legiones sub signis armatas tres, & Liuius l. 3. Sub signis urbem intrauere. & l. 1. 1. x. Sub signis alij xv. ordines locabantur. & tribus millibus. nam mille hac nota ∞ ueteres significabant: inde factum ∞, librarijs antiquae notae figuram immutantibus, cum propter celeritatem describendi uno calami ductu perficerent. TRES legiones Macedonicas & quarum duas, Martiam, & Quartam, ad ipsum transiisse, & Appianus tradit l. 3. & noster in Philippicis. CONVICTVM grande fecerunt & Antonium centenas drachmas pollicentem irriserunt. Appianus l. 3. Si fidem fecerit & non. n. satis Octauiano credebant boni uiri, quod Caesaris & heres, & filius ex testamento esset. ALIQUID tale & ut praefens auctoritate & uirtute sua rep. iuuare posset, cui nunc in uno Octauio contra Antonium & spes & praefidium est. FUGIAM Romam & antiqui libri, Caualcantis, & Bessarionis, Fugam Romam, proculdubio corruptus locus.

Cicero S. D. Attico. 8.

BINAE mihi uno die litterae ab Octauio. nunc quidem, ut Romam statim ueniam. uelle se rem agere per senatum: cui ego, non posse senatum ante Kalen. Ian. quod quidem ita credo, ille autē addit, consilio tuo. quid multo ille urget: ego autem οὐκ ἔρομαι. non confido aetatis ignoro, quo animo: nihil sine Pansa tuo uolo; ue reor, ne ualeat Antonius: nec a mari discedere libet: et metuo, ne quae ἀπιστία me absente. Varroni quidem displicet consilium pueri, mihi non. firmas copias habet, Brutum habere potest: & rem gerit palam: centurias Capuae, dinumerat. iam, iamq. uideo bellum. ad haec rescribe. Tabellarium meum kalendis Romae profectum sine tuis litteris, miror. Vale.

EXPLANATIO

CVI ego, & rescripti. CONSILIO tuo & scribit, se uelle re agere per senatum consilio meo. οὐκ ἔρομαι & cetergiuer for. VALEAT & copijs. quod si esset, rursus de Graccia cogitare: ideoq. a mari non libet discedere. CONSILIUM pueri & nō probat Varro, quod exercitum contra M. Antonium Octauius pararit. BRVTVM & Decimū: quē Antonius, Celtica prouincia non decedente, armis expellere parabat. CENTURIAS & centurias conficit ueteranorum, DIMINVERAT & pecuniam unicuique numerat, quingenos scilicet denarios. epist. 7.

Cicero S. D. Attico. 9.

VI. ueni, ad me, in Sinuessianum, eodem die, uulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. itaque mutauit consilium. statueram. n. recta Appia Romam. facile me ille esset assecutus. aiunt. n. eum Caesarianā uel celeritate. uerū igitur me a Minturnis Arpinum uersus, consiueram, ut pridie idus aut Aquini manerem, aut in Arcano, nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. magna enim res est. ertia sunt autem, maneam ne Arpini, an propius accedam, an ueniam Romam, quod censueris, faciam: sed quamprimum, auide exspecto tuas litteras. VI. idus mane, in Sinuessiano. Vale.

Fff EXPLA-

Antonium. μεταφορικός, Perstringere, ualet leuiter offendere. Pro Plancio: Granius L. Crassi uoluntatem asperioribus uerbis saepe perstringit impune. SEPTIMIÆ uxoris, opinor, Sicae, παίδες παίδων & omnium posteritas: unde apud Virgilium, Et nati natorum, & qui nascuntur ab illis. Manasse prouerbum uidetur ab Homeri uersu: *καὶ παίδες παίδων τοῖς μετ' αὐτῶν γέγονται*. Sine uallo Luciliano? forte, ut aperte intelligant: quia non scripta sunt obscure: quo te quasi uallo saepe muniuit Lucilius, poeta maledicus. EVM & M. Antonium: cui & in 2. Philippica per contumelia obijcit, suscepisse eum liberos ex Q. Fadij, libertini hominis, filia. quem hic Caium legimus, ibi Quintum: ut alterutrum sit mutandum. ILLIS triumuiris & hoc sine epistola Attici non licet nobis diuinare. NISI facete & subaudi, scripsisti de triumuiris. LEGES Sexto, & meam in Antonium orationem leges Sex. Peducaeo, qui mihi unus mille millibus. Magni autem ponderis fuisse Sex. Peducaeam apud Ciceronem, patet ep. 1. l. x. & 1. 5. l. 5. CALENI & cauebis, ne, dum leges meam orationem, Q. Fufius Calenus, aut Cn. Matius interueniat. uterque, n. Antonio amicitia coniunctus. Caleni etiam orationem pro Antonio bene longam, & contumeliosam aduersus Ciceronem recitat Dio l. xlv. Marium uero, quem Caluenam uocat, ut etiam ep. 4. l. 14. amicum Antonio fuisse, inimicum Bruto & Cassio, hoc est libertatis & reip. patronis, docet ipsius epistola in fam. 28. l. xi. EPISTOLA longissima quaeque optima & idem de Demosthenis orationibus solitum dicere, tradit Plutarchus, Quo Rubriana: & ita nunc corrigam, quae a te sunt in meo libro animaduersa, ut antea correxi quae de Rubrio scripseram, non ut quae de Scipione. Attico enim iam antea monenti ut de Rubrio scripta emendaret, Cicero paruera: de Scipione, non item. ET de laudibus Dolabellae, & te suadente partem tollam earum laudum, quibus Dolabellam ornaueram. EVM contra ciues & mihi, praeter obscuritatem sententiae, etiam antiqui libri, Caualeantis & Bessarionis, suspensionem afferunt de mendo. in utroque, n. scriptum animaduerso, Eum per contra ciues, placet, quod alijs, Eum ter contra ciues, hoc sensu: Videor Dolabellam in Philippica 11. laudare: sed bella uerborum est. nam re uera uitupero: siquidem eum ter in acie statuo contra ciues, cum dico interfuisse omnibus bellis ciuilibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Philippica 2. INDIENVS esse & de Antonio loquitur, quem uult indignum uita uideri, sic inquam indignum, quam quod maxime, *παραλογισμὸν Varronis* & Varrō clarorum uirorum nomina in unum librum congeserat, eumq. inscripserat, *Παραλογισμὸν*: quod Athenienses (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alij) in peilo eos, qui aliquid fortiter gessissent, explingere consueuerant. & Porphyrius ab Aristotele scriptum commentarium tradit, Pepli nomine inscriptum; quo commentatio & nauium, quae ad Troiam profectae essent, numerum, & ducum genealogias persequeretur. *Ἡρακλίδου* aliud Varronis opus, *Ἡρακλίδου* autem appellat, uel quia de rep. (Heraclides enim Ponticus de rep. scripserat, ut est ep. 19. l. 3. & ad Q. fr. ep. 8. l. 3.) uel quod egregie scriptum, ut quasi Heraclidis opus uideri posset. OTITE & librum de Senectute: cuius initium est, O Tite, si quid ego &c. uide ep. 3. ταξιαρχὸς & princeps gladiatorum. nominat eisdem secunda in Antonium, his uerbis: Cum duos secum Anagninos haberet, Mustelam, & Laconem: quorum alter gladiatorum est princeps, alter poculorum. Et Philipp. xi. Nolite ne Tirones quidem, Numisios, & Mustelas, Saxas ue contemnere. Et xi. i. eundem nominat. Respondet Attico, nomina Anagninorum, quos secum Antonius haberet, scire cupienti: legerat illud fortasse in 11. Philipp. Cum duos Anagninos secum haberet: & rogauerat, quoniam essent: in quo, nisi me coniectura fallit, abundare crediderim in ea oratione Mustelae, & Laconis nomina: cum Atticus ea quae scribit. LACO & Lento, non Laco, nominatur in Philipp. xi. l. i. bis, & xi. l. i. bis. ABSOLVI duobus & quatenus de officio Panaetius scripsit, (scripsit autem tribus libris) ego duobus absolui, in tertio deinde libro quaestionem illam explicauit, qui discerni posset officium; cum id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile uideretur: quod Panaetius cum promississet se esse dicturum, non persoluerat, ante, Absoluit, legebatur: itaq. est in antiquis quoque libris: nos tamen, Absolui, sententia postulante. QUALIS causa Reguli & M. Atilio Regulo utile fuit Romae manere, honestum ad Carthaginenses redire, sicuti discedens iureiurando promiserat, hoc exemplum plenissime in 3. de officijs. PANDONIVS Panaetij discipulus, Rhodius philosophus, e Stoica disciplina. DILVCIDE & scripsisti. DE istis & fortasse rectius hoc modo: Ita ne in L. Brutum discipulis, qui scilicet antea pro eo sentire uidebaris? ITERVM *remp. seruarem*: & seruauerat. n. antea, cum Catilinae coniurationem in suo consulari oppressisset, *αὐθιχῶς* & significat, neque se suscipere quod Octauius uellet, periculi metu: neque abnuere, propter pudorem: quemadmodum ij, quos e Graecorum exercitu Hector in certamen prouocauerat, l. 6. ep. 1. KALENDIS Ian. & quo die nouis consulibus magistratum ineuntibus de rep. refertur. ERIT & Octauius. Nam ut senatus Kal. Ian. tuto haberi, sententiaeq. de summa rep. libere dici possent, de praesidio prius erat uidendum: qua de re tribunos pl. uerba fecisse, patet in extrema 3. Phil. STIPULATIONES & eos, qui stipulatione se daturus esse pecuniam spondent, uult enim, opinor, e suis praesidijs aliquod ab Attico uendi. CATINAM & c. & Catinensium suffragijs, item Tauromeniorum, & Syracusanorum, allequi nescio quid in Sicilia Valerius interpreti cupiebat, ep. 10. l. i. GRATIOSORVM in suffragijs. NOSTRIQ. *familiares* & a quaestura sua Siciliensi. PVBLTICE & ad Catinenses, Tauromenientes, Syracusanos. AVT mihi nomina mitteret & quasi dicat: Si tui nollet eis litteris, mitteret mihi nomina gratiosorum. BALBUS ad me & scripserat. NEQVE Torquati: & ut in nostro libro, item est in duobus scriptis, Caualeantis, & Bessarionis. Placeret, Me de Torquati negotiolo scitutum puto, uel, ut alij emendarunt, Deq. Torquati negotiolo scitutum puto. QUAM ualde eum amaret & Quintum, filium suum.

Cicero S. D. Attico. II.

OPERTI epistolae, quia perhumana erat, tibi mihi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum: itaque me pridie idus arbitror Romae futurum, commo- dius est uisum, frustra me illic esse, cum id non necesse esset, quam, si opus esset, non adesse, & simul, ne inter- cluderer, metuebam, ille enim iam aduentare potest:

etsi uarij rumores, multique, quos cuperem ueros, nihil tamen certi, ego uero, quidquid est, tecum potius, quam animi pendeam, cum a te absim, & de te, & de me, sed quid dicam? bonum animum. ἤρακλειδίου Varronis, negotia salsa, me quidem nihil unquam sic delectant, sed haec, & alia maiora coram. Vale.

EXPLANATIO

MUGINARIS, & nihil explicans differs. CEPI consilium domesticum & hoc consilium cepi, ut Ro- mam uenirem. INTERCLUDERER & aduentu Antonij ad urbem. POTEST & ad rationem con- iecturae suae, ut ego, inquit, opinor, Antonius ad urbem iam aduenat. TECUM potius & subintellige, Romae sim. NEGOTIA salsa & facete scripsisti ab ἤρακλειδίου Varronis: meq. ea pars litterarum tua- rum ita delectauit, ut nihil unquam magis, ep. 8.

Cicero S. D. Attico. 12.

OCASVM mirificum. v. idus cum ante lucem de Sinuessano surrexissim, uenissimq. diluculo ad Pontem Tiretium, qui est Minturnis, in quo flexus est ad iter Arpinas, obuiam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὀρμαίνοντα. ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico, non dum legere poteramus. nam & lumina dimiseramus, nec satis lucebat. cum au- tem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi coepta est, illa omnium quidem elegantissima, ne sim saluus, si aliter scribo, ac sentio, nihil legi huma- nius, itaque ueniam, quo uocas, modo adiutore te, sed nihil tam ἀπροσδιόγουσιν mihi primo uidebatur, quam ad eas litteras, quibus ego a te consilium petieram, te mihi ista rescribere. ecce tibi altera, qua hortaris παρ' ἡμετέρας μίμαντα, Νήσον ἐπὶ Φυρίης, Ἀρπίαν ἐν ἀριστέ- ρηχοντα. itaque eo die mansi Aquini: longulum sane iter, & uia inepta, inde postridie mane proficiscens, has litteras dedi, & quidem, ut a me dimitterem inuitissi- mus, fecerunt Erotis litterae, rem tibi Tiro narrabit, tu, quid faciendum sit, uidebis: praeterea, possim ne pro-

pius accedere, (malo enim esse in Tusculano, aut nisi in suburbano) an etiam longius discedendum putas, crebro ad me uelim scribas, erit autē quotidie, cui des. Quod praeterea consulis, quid tibi censam faciendum: difficile est, cum absim: uerum tamen, si pares aequae- ter se, quiescendum: sin, latius manabit, & quidem ad nos, deinde communiter. auide tuum consilium exspe- cto, timeo, ne absim, cum adesse me sit honestius: uenire non audeo. De Antonij itineribus nescio quid aliter au- dio, atque ut ad te scribebam, omnia igitur uelim expli- ces, & ad me certa mitas. De reliquo quid ego tibi di- cam? ardeo studio historiae, incredibiliter enim me eo mouet tua cohortatio, quae quidem nec institui, nec effi- ci potest sine tua ope: coram igitur hoc quidem confe- remus. In praesentia mihi uelim scribas, quibus eos. C. Fannius M. F. tribunus pl. fuerit. uideor mihi audivisse, P. Africano, L. Mummo, id igitur quaero, tu mihi de ijs rebus, quae nouantur, omnia certa, clara, & i. i. id est Arpinati. Vale.

EXPLANATIO

δολιχὸν πλόον & respexit ad Homeri uersum, quem infra paullo post recitabimus. Dicit autem, δολι- χὸν πλόον ὀρμαίνοντα. quia rursus nauigare in Graeciam cogitabat, si armis ualeret Antonius; nec a mari discedere libet. ἀπροσδιόγουσιν & absurdum, alienum a re. CONSILIUM petieram & quid mihi esset agendum, manendum ne Arpini, an propius accedendum, an ueniendum Romam, ep. 7. & 9. Παρ' ἡμετέρας & Nestoris uerba sunt Odyssae lib. 3. Telemacho narrantis reditum Graecorum a Troia. Scripserat autem Atticus, qua uia Cicero proficisci Romam tuto posset, ualde enim Antonium timebat, ut signifi- cat ipse ep. 8. & eam rationem itineris, ab Attico descriptam, Homericis uerbis Cicero designat, poetae uersus hi sunt.

- >> ὁ φέ δ' ἐδὴ μετὰ γαίῃ κίε ξαυθὸς Μενέλαος:
- >> ἐν Λέσβῳ δ' ἔκειχε δολιχὸν πλόον ὀρμαίνοντα:
- >> ἤλαθ' ἄν περθε χίλοιο νεοί μεθ' αὐτὸς παυπελοῖσσι,
- >> κήσου ἐπὶ Φυρίης αὐτὴν ἐπ' ἀριστέρ' ἔχοντες,
- >> ἢ ὑπέγερθε χίλοιο παρὴν ἡμόεντα μίμαντα.

Quod autem Cicero & Mimanta, & Pfyriam in hunc locum transtulit, non ea ipsa intelligit loca, (non enim Atticus ad eam navigationem hortabatur, sed ut Antonium uitaret ad urbem uenientem) sed quali- per

per iocum usurpauit Homeri uerba; non dissimili sententia. **APPIAM** & uiam. **DIMITTEREM** & lit-
 teras. qua de caussa, non scribit, sed reijcit Atticum ad Tironis sermonem. **PARES**: & si pares copijs
 sunt Antonius, & Octauius; Romae tibi censeo manendum. ipsi enim inter se aliquandiu pugnabunt;
 intereaq. periculi expertes erimus. sin superior alteruter est; discedendum. uterumque enim ualeat, la-
 tius periculum manabit, & primo ad nos, (se ipsum, & alios intelligit, qui remp. fortiter defenderant)
 deinde ad omnes communiter, ideoq. etiam ad te, quamuis reip. administratione semper abstinueris.

- SIN** & hic particula, Sin, ualet Sin aliter; ut illud apud iocofum laudatorem obsecni dei:
 , , Donec proterua nil mei manu carpes;
 , , Licebit, ipsa sis pudicior Vesta.
 , , Sin; haec mei te uentris arma laxabunt.

Cicero S. D. Attico. 13.

Nihil erat plane, quod scriberem. nam, cum
 Puteolis essem, quotidie aliquid noui de Octa-
 uiano, multa etiam falsa ad Antonio, ad ea autē, quae
 scripsisti, (tres. n. acceperam **T. I. id. a te epistolas**)
 ualde tibi assentior, si multum possit Octavianus, mul-
 to firmiter acta tyranni comprobata iri, quam in Tel-
 luris, atque id contra Brutum fore. sin autem uincitur,
 uides intolerabilem Antonium: ut, quem uelis, nescias.
**O Sextij tabellarium hominem nequam. postriaie Pu-
 teoli Romae se dixit fore. Quod me mones, ut pedeten-
 tim: assentior, etsi aliter cogitabam. nec me Philippus,
 aut Marcellus mouet. alia enim eorum ratio: et si nō est,
 tamen uidetur. sed in isto iuene, quamquam animi sa-
 tis, auctoritatis parum est. tamen uide, si forte in Tuscu-
 lano recte possim, ne id melius sit: (ero libentius: nihil**

enim ignorabo) an hoc, cum Antonius uenerit. Sed, ut
 aliud ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Graeci
 καθ' ἑσθ' nos officium. id autem, quid dubitas, quinetiā
 in remp. praeclare caderet? non ne dicimus, consulum
 officium, senatus officium? praeclare conuenit, aut da-
 melius. Male narras de Nepotis filio. ualde mehercule
 moueor, & moleste fero. nesciam: omnino esse istum
 puerum. Caninium perdidit, hominem, quod ad me atti-
 net, non ingratum. Athenodorum, nihil est, quod horte-
 re misit enim satis bellum ὑπὸ γυναικα. Granedini, quae-
 so, omni ratione subueni. **Quinctus, cui patris nepos, scri-
 bit ad patris mei nepotem, se ex nonis ijs, quibus nos ma-
 gna gessimus, aedem Opis explicaturum, idq. ad popu-
 lum. uidebis igitur, & scribes. Sexti iudicium exspecto.**
 Vale.

EXPLANATIO

In Telluris, & templo, quo in loco decretum est, ut, quae Caesar statuisset, decreuisset, egisset, rata ma-
 nerent. **POSTRIDIE** & dixit se Romae fore postridie quam Puteolis discessisset. **Vt pedetentim** &
 ut in consilio capiendō ne properem. Et hoc monebat Atticus, quia Cicero iam illud iterum rogauerat,
 quid sibi esset agendum, manendum Arpini, an propius accedendum, an eundem Romam. **epist. r. & y.**
Aliter cogitabam & nolebam diutius animi pendere, suspensus in deliberando: sed parebo tibi, qui me
 mones, ut pedetentim. **Nec me Philippus** & monuerat Ciceronem Atticus, ut Philippum & Marcellum imi-
 taretur, nihil prope agentes. habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam, Octauiani matrem, C.
 Marcellus Atiae filiam, Octauiani sororem. oratione & in Antonium. **Alia enim & o.** licet illis quiesce-
 re: aut, si non licet, licere tamen uidetur. non. n. ab illis eadem expectantur, quae a nobis, qui tanta res
 pro rep. gessimus. **Et si non est** & quasi dicat: reuera omnium ciuium eadē ratio est; (remp. n. tueri aequē
 omnes debent) sed diuersa tamen uidetur esse, cum aliud a me postuletur pro anteaēta uita, aliud a Phil-
 lippo, & Marcello: ita quiescere illis licet, mihi non licet. **Sed in isto iuene** & doler, quod sibi, remp. defen-
 dere cupienti, non satis praesidij sit eōtra Antonium in Octauiano admodum adolescente. **Ne id melius**
fit & quam esse, ubi nunc sum, in Arpinati. **An hoc** & an potius suades, in Tusculanum prius ueniam, quā
 Antonius in urbem. **Quod Graeci καθ' ἑσθ'** & pertinet hoc ad inscriptionem librorū de officijs. ep. 6. **Ma-
 le narras:** & male narras, eleganter dicimus, illud, cū iucundam rem audimus; hoc, cum molestam. **exēpla**
 maxime apud comicos. **Non ingratum** & eius. n. caussam Cicero defenderat: ut in ep. ad Mariam, Diru-
 pi paene me in iudicio Galli Canini. **Nihil est, quod hortere** & ut mittat, quae ab illo petieram, **καθ' ἑσθ'**
λαλα, ex Posidonij libro excerpta. ep. 6. **Quinctus, cui patris nepos** & hoc dicit: Quinctus sororis tuae filius
 scribit ad Marcum filium meum. Et uicitur, ut interdum solet, circuitione. **Ex nonis ijs, quibus nos magna**
gessimus. & ex nonis Decembribus: quo die Lentulum, Cethegum, aliosq. ex coniuratione Catilinaria, li-
 tori tradidit necandos. **Ex nonis igitur Decembribus,** ubi aedilitatem plebis inierit. nam de tribunatu
 plebis, non est, ut intelligere possimus. cuius primus dies non erat nonae Dec. sed **iv. id. Dec.** ut Liuius &
 Dionysius affirmant. quod si tribunatus pl. non est; quid praeter aedilitatem esse possit, non dispicio;
 nam ceteri magistratus Kalen. Ian. inibantur. quod ex Plutarcho & alijs constat. **Veri autem simile est,**
 cum aediles plebis ideo creati sint, ut tribunorum plebis tamquam ministri essent, quod a Dionysio tra-
 ditum est, eos iisdem fere diebus iniisse magistratum; quibus tribunos; ut ijs, qua de caussa initio
 sunt

sunt instituti, praesto esse possent. nec uero de alio magistratu crediderim intellexisse Ciceronem adione prima in Verrem, cum dicit, P. Sulpicius, iudex tuis, & integer, nonis Dec. magistratum in eam necesse est. nam tribunatus plebis esse non potest, de quo proxime iam mentionem fecerat. AEDM Opie explicaturum & rationem exacturum ab Antonio eius pecuniae, quam ex aede Opis abstulit, a Caclare depositam. & est, Explicaturum, palam facturum, quid in Opis aede pecuniae fuerit, eamq. repeturum: uide in Philipp. 2. SEXTI iudicium & quid iudicet Sex. Peducaeus de oratione mea in Antonium, ep. 10. Tu uero, inquit, leges Sexto, eiusq. iudicium mihi perscribes.

Cicero S. D. Attico. 14.

NOLI putare, pigritia facere me, quod non mea manu scribam: sed mehercule pigritia: nihil enim habeo aliud, quod dicam. & tamen in tuis quoque epistolis, Alexim uideor agnoscere, sed ad rem uenio. Ego, si me non improbiissime Dolabella tractasset, dubitasset fortasse, utrum remissior essem, an summo iure contenderem: nunc uero etiam gaudeo mihi causam oblatam, in qua & ipse sentiat, & reliqui omnes me ab illo alienatum: idq. praemiseram, & quidem me mea facere, & rep. causa, cur illum oderim, quod, cum eam me auctore defendere coepisset, non modo deseruit emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuerit, euertit. Quod autem quaeris, quo modo agi placeat, cum dies uenerit: primum uelim eiusmodi sit, ut non alienum sit, me Romae esse; de quo ut de ceteris faciam, ut tu censueris: de summa autem agi prorsus uehementer, & seuerè uolo. etsi, sponsores appellare, uidetur habere quandam diuortia, tamen, hoc quale sit, consideres uelim. possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratorem introducere. neque enim illi litem contestabuntur. quo facto, non sum nescius sponsores liberari. sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod sari dato debeat, procuratores eius non dissoluere: & nostrae grauitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. de hoc quid placeat, rescribas uelim, & nō dubito, quin hoc totū lenius administraturus sis. Redeo ad remp. Multa mehercule a te saepe in πολιτικῷ genere prudenter: sed his litteris nihil prudentius: Quamquam enim posset in praesentia belle iste puer retundere Antonium, tamen exitum expectare debemus. at, quae concio? nam est misa mihi iurat, ita sibi parentis honores consequi liceat: & simul dextram intendit ad statuam, unde deo uideo discrimen Cascae nostri tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, cum me hortaretur, ut adolescentem, totamq. causam, manumq. ueteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modo non inimicum tyrannoclonis, uerum etiam amicum fore. cum ille diceret, ita futurum:

quid igitur festinamus? inquam, illi enim mea opera ante Kal. Ian. nihil opus est: nos autem eius uoluntatem ante idus Dec. perspiciemus in Casca. mihi ualde asensus est. Quamobrem haec quidem haec tenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, & ut ego arbitror etiam, quid scribas, quotidie. Leptae litterarum exemplum tibi misi: ex quo mihi uidetur spatium illi deiectus de gradu, sed tu, cum legeris, existimabis. OBSIGNATA iam epistola, litteras a te, & a Sexto accepi. nihil incindius litteris Sexti, nihil amabilius. nam tuae breues: priores erunt uberrimae. Tu quidem & prudenter, & amice suades, ut in his locis potissimum sim; quoad audiamus, haec, quae commota sunt, quorsum euadant, sed me, mi. Attice, non sane hoc quidem tempore mouet resp. non quo ea sit mihi quidquam carius, aut esse debeat: sed desuperatis etiam Hippiocrates uetat adhibere medicinam. quare ista ualeam. Me res familiaris mouet: rem dico? immo uero existimatio. cum enim tanta reliqua sint; ne Terentiae quidem adhuc quod soluum expeditum est. Terentiam dico? scis nos pridem iam constituisse Montani nomine HS XX I I. dissoluer. prudentissime hoc Cicero petierat, uti de suo. liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram; Erotiq. dixeram, ut, sepositum haberet, non modo, sed iniquissimo fenore uersuram facere. An relius coactus est. nam de Terentiae nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, nummos a Dolabella fore. male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit; potius, nihil intellexisse, tu enim ad me scripsisti Coccey responsum: & isdem paene uerbis Eros. ueniendum est igitur uel in ipsam flammam, turpius est enim priuatum cadere, quam publico: itaque ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, perturbato animo, non potui, ut consueneram, rescribere, consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam. quibus autem rebus, ueniis quidem mihi in mentem: sed certo, constituere nihil possum, prius quam te uidero. qui minus autem ego istic recte esse possim, quam est Marcellus? sed non id agitur: neque id maxime curo: quid curem, uides, adsum igitur. Vale.

EXPLANATIO

ALEXIM uideor agnoscere. & Alexidis manum in tuis epistolis agnosco. erat autem Attici amanuensis. epist. 2. l. 7. & XI. lib. 12. Si me non improbiissime & c. qui cum mihi pecuniam deberet, & de solutione asseueranter quotidie promitteret; diu uarijs excusationibus iudificans, ad extremum, non nummo quidem persoluto, in Syriam profectus est, epist. 13. lib. 15. REMISSIOR essem: & in exigenda pecunia. EMTVS & ab Antonio, uide illud, Cum se magno aere alieno Faberij manu liberarit, epist. 8. lib. 14. EVERTERIT & qui aduersante senatu legem pertulerit de eripienda Cassio Syria provincia. Appianus lib. 3. CVM dies uenerit & exigendae pecuniae. VELIM eiusmodi sit & eam agendi rationem

nem iuueniamus, ut, cum ageretur, non esse Romae nolim: nam abesse malle, si summa cum illius ignominia ius nostrum persequeremur, non enim, adesse, nostrae grauitatis tum esset. *Δυσωρίαν* § difficultatem in adspiciendo, hoc est erubescendi causam, pudet enim magis, cum sponforem, quam cum ipsum debitorem eius ne procuratorem, appellamus, uerum, inquit, non appellabimus ipsi: procuratorem, nostro nomine qui appellet, introducemus. *Ποσσυμύς enim &c.* § possumus ita rem agere, introducemus procuratorem, qui sponforem appellet, illi iudicio non disceptabunt, sed nos ad Dolabellae bona reijcient, ita & ipsi liberabuntur: cum reus habeat, unde soluat: (epist. 14. & 17. lib. 12.) & nos tum demum, honeste ius nostrum persequentes, Dolabellae re eam partem capiemus, quae facta aestimatione, debita pecuniae respondeat. *Λίτην* § contesabuntur § rem in iudicium adducunt. *Ἰλλί* § Dolabellae. *Ὅτι* § satisfidato debeat § quod si ipse non soluet, soluere sponfore cogentur. *Νοστράε* § grauitatis § arbitrator esse nostrae grauitatis, ius nostrum ita persequi, ut ne cum summa Dolabellae ignominia, certe enim summa esset ignominia, si, non appellatis sponforibus, absentis bona auctioni subiecta statim uenderemus, primo igitur per procuratorem sponfore appellemus: deinde ius nostrum persequamur: quod tum quidem cum illis aliquanto minore fiet ignominia. *Ὅτι* § non dubito § & Canalicantis, & Bellarionis duo perantiqua exemplaria negatiuam tollunt, quam tamen retinet sententia, itaque uel, Et non dubito, ut est in uulgatis libris, uel, Haud dubito, legendum crediderim; ut, quam minime possumus, a uetere scriptura discedamus, est enim in duobus illis, Et dubito. *Ἰστὴν* § puer: § Octavianus. *Ὅτι* § in ea concione Octavianus res gestas patris Iulij in memoriam populo redegit: Antonium accusauit: milites, qui se duces securi essent, laudibus ornauit; seque una cum ijs ita animatum esse dixit, ut obsequi ad omnia, & inseruire patriae uellet. haec autem in templo Castoris, & Pollucis, cum ei Ti. Canutius tribunus pl. Antonio infensus, concionem aduocasset. Dio lib. xlv. & Appianus l. 3. *Ἰτα* § sibi parentis honores consequi liceat § ut patriae defensionem susceperit. *Ἐξ* § simul dextram intendit ad statuam § per parentem iurauit manu statuae illius imposita: ex uetere Graecorum more, illa ipsa, per quae iutabant, numina tangentium. Herodotus lib. 6. & Iuuenalis sat. 14. Vendet periura summa Exigua, Cereris tangens aramq. pedemq. *Ὅτι* § ne sim saluus, si quis unquam tam egregie concionatus est. *Κασκαί* § nostri tribunatum: § uix enim puto fore, ut Octavianus Cascam, patris sui percussorem, gerere tribunatum patiatur. Hoc & M. Antonius in epistola, quam recitat Cicero Philippica xlii. Octauiano, & Hirto Panfaeq. consulibus exprobat. In Syriam inquit, Cassium misistis. Cascam tribunatum gerere passi estis. *Ὑπερ* § veteranorum § qui Octavianum sequebantur. ep. 9. *Ἄντε* § kal. Ian. § quo die senatu a nouis consulibus coacto, suam ueteranorumq. causam magnopere cupiebat Octavianus commendari, id quod postea factum, declarat Philippica v. *Ὅτι* § nihil opus est § nam ante Kal. Ian. quo die magistratum noui consules erant inituri, S. C. fieri pro Octauiano nullum poterat, consule Antonio eius inimico. *Ἄντε* § idus Dec. § uidebimus, num Cascam, unum ex tyrannocionis, tribunatum pl. gerere patiatur, quod cum passus esset, exprobrauit, ut iam ostendimus, Antonius in epistola. *Ἰν* § Casca § in Cascae tribunatu uoluntatem Octauiani ante idus Dec. perspiciemus. *Ἄ* § sex. § Peducaeo: cuius exspectabat iudicium de oratione sua in Antonium. epist. 10. & 14. *Ὅτι* § cum enim tanta reliqua sint, § cum supra id, quod debemus, tantum habeamus in omnibus, sed reliquorum nomine quid significetur, planius epist. 17. l. 5. ad illud: Cum ex reliquis abundare debeam, & epist. 2. Cum reliqua satis apta sint ad soluendum. *Ὅτι* § Terentiae quidem § cui satisfieri quam primum uolebam, cum enim multis deberet, in primis tamen Terentiae numeratum cupiebat, & epist. 15. lib. 15. Terentiae uero, inquit, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. *Ἡ* § xxii § quae Montanus qui Ciceroni filio comes Athenas erat profectus, Planco debebat. epist. 50. lib. 12. *Ὅτι* § de suo § ut HS illa xxii soluerentur de suo, detracta uidelicet de ea summa, quam illi in annum sumptum praestituimus. *Ὑπερ* § liberalissime § de meo, inquit, me esse soluturum promiseram, non de pensione Ciceronis, ut ipse petierat. *Ὅτι* § non modo § non modo non hoc Eros fecit, quod ei mandaueram. *Ἀ* § urelivs § qui Montani absentis nomine Romae soluit. *Ὅτι* § Cocceii responsum § Cocceius, unus ex procuratoribus Dolabellae in Syriam profecti, Attico pecuniam Ciceronis nomine petenti ita responderat, ut sperandum nomine uideretur. *Ἰν* § ipsam flammam § publicarum contentionum. *Ὑπερ* § aere alieno oppressum. *Ὑπερ* § reip. causa. *Ὑπερ* § perturbato animo § perturbatus animo cum essem, ceteris de rebus, quas ad me suauissime scripsisti, rescribere, ut consueueram, non potui. *Ὑπερ* § me expediam § aere uidelicet alieno. *Ὑπερ* § qui minus § cur ego istic aequo tuto esse non possim, atque est Marcellus? Hic autem, ut supra diximus, Octauiani sororem habebat in matrimonio. *Ὑπερ* § non de hoc laboro, sed de aere alieno, ut uides.

Cicero S. D. Attico.

15.

IVCVNDISSIMAS tuas legi litteras. ad Plancum scripsi. habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris. Vale.

M. Cicero L. Planco praet. des. S. Attici nostri te

ualde studiosum esse cognoui, mei uero ita cupidum, ut mehercule paucos aequo obseruantes, atque amantes me habere existimem. ad paternas enim magnas, & ueteres, & inultas necessitudines magnam attulit accessionem tua uoluntas erga me, meaq. erga te par, atque mutua.

mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est: egi enim saepe, ubiq. totam rem demonstravi: quae est acta hoc modo. Vt primum Buthrotium agrum proscriptum uidi-
mus: commotus Atticus libellum composuit. eum mihi dedit, ut darem Caesari; eram enim cenaturus apud eum illo die. cum libellum Caesari dedi, probavit causam, rescripsit Attico aequa eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotij ad diem soluerent. Atticus, qui eivitatem conseruatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. quod eum esset factum, adiunximus ad Caesarem, uerba fecimus pro Buthrotijs, liberalissimum decretum abstulimus: quod est ob signatum ab amplissimis uiris. quae cum essent acta mirari quidem solebam, pati Caesarem comenire, eos, qui agrum Buthrotium concupissent, neque solum pati, sed etiam ei negotio te praeficere. itaque & ego cum illo locutus sum, & saepius quidem; ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiae suae confiderem: & M. Messallae, & ipsi Attico dixit, ut sine cura essent: aperteque ostendebat, se praesentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle: cum, mare transissent, curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. haec illo uiuo, post interitum uero Caesaris, ut primum ex S. C. causas consules cognoscere instituerunt, haec, quae scripsi, ad eos delata sunt. probauerunt causas sine ulla dubitatione, seq. ad te litteras duros esse dixerunt. Ego autem, mi Planco, etsi non dubitabam, quin & S. C. & lex, & consulum decretum, ac litterae apud te plurimum auctoritatis haberent, teq. ipsius Attici causa uelle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione, & beneuolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas, suauissimiq. mores a te essent impetraturi. id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter, prolixè, celeriter facias. mihi nemo est amior, nec incandior, nec carior Attico: cuius antea res solum familiaris agebatur, eaq. magna nunc accessit etiam existimatio, ut, quod consecutus est magna & industria, & gratia, & uirum Caesare, & mortuo, id te adiuuante obtineat. quod si a te erit impetratum, sic uelim existimes, mea de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum iudicem. ego, quae te uelle, quaeq. ad te pertinere arbitror, studiose, diligenterq. curabo. da operam, ut ualeas. Vale. Cicero Planco praet. des. S. Iam antea petiui abs te per litteras, ut cum causa Buthrotiorum probata a consulibus esset, quibus & lege, & S. C. permissum erat, ut de Caesaris actis cognoscerent, statuerent, iudicaret eam rem tu adiuuares, Atticumq. nostrum, cuius te studiosum cognoui, & me, qui non minus laboro, molestia liberares. omnibus enim rebus magna cura, multa opera, & labore confectis, in te positum est, ut nostrae sollicitudinis finem quamprimum facere possimus. quamquam intelligimus, ea te esse prudentia, ut uideas, si ea decreta consulum, quae de Caesaris actis interposita sunt, non seruentur, magnam perturbationem rerum fore. eundem, cum multa, quod necesse erat in tanta occupatione, non probentur, quae Caesar statuerit; tamen otij, pacisq. causa acerrime illa soleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum censeo. quamquam haec epistola non suatoris est, sed rogatoris. Igitur mi Plance rogo te, & etiam oro, sic medijs fidius, ut maiore

studio, magisq. ex animo agere non possim, ut totum hoc negotium ita agas, ut tractes, ita conficias, ut, quod sine ulla dubitatione apud consules obtinuerim, propter summam bonitatem, & aequitatem causas, id tu nos obtinuisse non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. qua quidem uoluntate esse erga Atticum, saepe praesens & illi ostendisti, & uero etiam mihi, quod si feceris, me, quem uoluntate, & paterna necessitudine coniunctum semper habuisti, maximo beneficio diuinctum habebis. idq. ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale. Cicero Capito suo. Numquam putauit fore, ut supplex ad te uenirem; sed hercule facile patior datum tempus, in quo amore experirer tuum. Atticum quanti faciam, scis. amabo te, da mihi & hoc: obliuiscere mea causa, illum aliquando suo familiari, aduersario tuo, uoluisse consilium, cum illius existimatio ageretur. hoc primum rogare, est humanitatis tuae: suos enim quisque debet tueri; deinde, si me amas, omite. Atticum Ciceroni tuo: quem quanti facias, prae te soles ferre. totum hoc, ut quod semper existimaui, nunc plane intelligam me a te multum amari. Buthrotios cum Caesar decreto suo, quod ego ob signaui cum multis amplissimis uiris, liberauisset, ostendissetq. nobis, se, cum agrarij mare transissent, litteras miserum, quem in agrum deducerentur: accidit, ut subito ille interiret. deinde, quemadmodum tu scis, (interfuisi enim, cum consules oporteret ex S. C. de actis Caesaris cognoscere) res ab is in kalend. Iun. ditata. accessit ad S. C. lex, quae lata est ad v. non. Iun. quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, deuenisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. causa Buthrotiorum delata est ad consules. decretum Caesaris recitatum est, & multi praeterea libelli Caesaris prolati. consules de consilij sententia decernerunt secundum Buthrotios; Plancum dederunt. Nunc mi Capito (scio enim quantum semper apud eos, quibuscumq. sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum, atque humanissimum Plancum) enitere, elabora, uel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem spero optimum esse, si etiam melior opera tua. omnino ses huiusmodi uidetur esse, ut sine cuiusquam gratia Plancus ipse pro ingenio, & prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum & lege, & S. C. cognitio, & iudicium fuit, conseruet, praesertim cum, hoc genere cognitionem libellato, acta Caesaris in dubium uentura uideantur: quae non modo ij, quorum interest, sed etiam ij, qui illa non probant, otij causa confirmare uelint. quod cum ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libentis prolixoq. facere. quod certe faciet, si tu ueruos tuos, mihi saepe cognito, suauitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. quod ut facias, te uehementer rogo. Vale. Cicero Cupiemio S. Patrem tuum plurimi feci; meq. ille mirifice & coluit, & amauit. nec me hercule umquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer. ego quidem id facere non desisti. quamobrem peto a te in maiorem modum, ut ciuitatem Buthrotiam subleues, decretumq. consulum, quod ij secundum Buthrotios fecerunt, cum & lege, & S. C. statueredi potestatem haberent, des operam, ut Plancus uos quamprimum confirmet, & probet. hoc te uehementer mi Cupiemio, etiam atque etiam rogo. Vale. Cicero Planco praet. des. S. Ignosce mihi, quod, cum ui-

te a curatissime de Buthrotijs ad te scripserim, eadem de re saepius scribam. non mehercule mi Plance facio, quod parum confidam aut liberalitati tuae, aut nostrae amicitiae; sed cum tanta res agatur Attici nostri, nunc uero etiam existimatio, ut id, quod probauit Caesar, nobis testibus, & obsecratoribus, qui & decretis, & responsis Caesaris interfueramus, uideatur obtinere potuisse, praesertim cum tota potestas eius rei tua sit, ut ea, quae consules decreuerunt secundum Caesaris decreta, & responsa, non dicam comprobent, sed studiose, libenterque comprobent. id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. etsi iam sperabam, cum has litteras accepisses, fore, ut ea, quae superioribus litteris a te petissemus, impetrata essent: tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nunciatum erit, te id fecisse, quod magna cum spe expectamus. deinde enim, confido fore, ut alio genere litterarum utamur, tibi, pro tuo summo beneficio gratias agamus. quod si acciderit, uelim

sic existimet, non tibi tam Atticè, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro, quam ille, obligatum fore. Vale. Cicero Capioni S. Non dubito, quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam saepius. Homini familiarissimi, & mihi omnibus rebus coniunctissimi, permagna res agitur Attici. cognoui ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. multum potes nos apud Plancum iuuare. noui humanitatem tuam: scio, quam sis amicis iucundus. nemo nos in hac causa plus iuuare potest, quam tu. & res ista est firma, ut debet esse, quam consules de consilij sententia decreuerunt, cum & lege, & S.C. cognoscerent. tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur cum officij tui, & reip. causa decretum consulum comprobaturum, tum libenter nostra causa esse facturum. adiuuabis igitur, mi Capito: quod ut facias, uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EXPLANATIO

OCCUPATIONE ista: § de re Buthrotia. **L. PLANCO** praet. des. § uel tollenda praenomina nota, uel legendum, Cn. Planco, qui fuit Lucij frater, & hoc anno praetor erat designatus: insequenti enim praetoratum gessisse, planum fit ex epistola Lucij Planci ad Ciceronem, in epistolis famil. epist. 17. lib. 9. nam L. ipse cum D. Bruto a Caesare consul fuerat designatus post Hirrium & Panfam, anno uidelicet, qui est proximum subsequutus. **PROSCRIPTVM** § a Caesare, quod Buthrotij pecuniam imperatam non soluerent. **LIBELLVM** § quo libello petebat a Caesare, ut agrum Buthrotium liberaret: Buthrotios enim, quod reliquum pecuniae deberent, intra certam diem soluturos. **PECUNIAM reliquam** § nam imperatae pecuniae partem iam antea soluerant: reliquae solutionem cum differrent, Caesar eorum agrum proscripserat. **DECRETVM** § quo Caesar Buthrotium agrum liberabat. **Et negotio** § agro Buthrotio diuidendo. **PRAESENTIVM** § qui diuisionem agri Buthrotij praesentes petebant. **CVM mare transissent**, § Buthrotum enim proficiscentibus mare transeundum erat. uide epist. 19. lib. 15. de agripetis. **CAUSSAS consules cognoscere** § post interitum Caesaris factum est S.C. in aede Telluris, ut quae Caesar statuisset, decreuissent, egisset, rata essent: earumque rerum cognitio consulis data. epist. 15. **PROBAUERUNT causas** § malle, causam: ut subaudiantur, Buthrotiam. **Ad te litteras** § ut ijs, qui tecum mare transissent, agrum Buthrotium ne diuideres. **Et lex** § quia praetor S. C. etiam lege negotium consulis est datum, ut de actis Caesaris cognoscerent. epist. 15. **CONSULVM decretum** § quod enim Caesar in causa Buthrotia nobis postulantibus decreuerat, id postea consules Dolabella & Antonius decreto probauerunt. **RES solum familiaris** § nummos enim Caesari numerauerat de suo pro agri Buthrotij liberatione. quod nisi consequeretur, eos nummos a Buthrotijs exigere non potuisset. **VT supplex ad te uenirem**: § iocatur in Capitonem, haud magnae auctoritatis hominem: cum dicat, numquam se futurum putasse, ut illius opera ualde egeret. **Et est C. Ateius Capito**, de quo epist. 33. lib. 13. & fam. epist. 29. lib. 13. **AGRARIJ** § qui mare transibant, ut si bi ager diuideretur. **PLANCVM dederunt** § haud aliter scriptum est in antiquis libris: me tamen in hanc opinionem ratio ipsa perducit, ut legendum credam, Litteras ad Plancum dederunt. uideo enim ita scriptum supra: Consules probauerunt causas sine ulla dubitatione, seq. ad te litteras daturos esse dixerunt. **QVORVM interest**, § ad quos ex Caesaris actis uel utilitas, uel honor peruenit. **OTIUM causa** § magna enim otiretur omnium rerum perturbatio, si ea, quae Caesar egit, in dubium uocarentur. **OFFICIJ tui**, § ex ipsa sententia perspicuum fit, Officij sui, legendum. ueteres tamen libri, Tui.

Faint, mostly illegible text in the upper section of the page, appearing to be a continuation of a letter or treatise.

EXPLANATIO

Main body of faint text, likely a commentary or explanation of the preceding text, containing various words and phrases.



T. POMPONII ATTICI

VITA

PER CORNELIVM NEPOTEM



POMPONIUS Atticus, ab origine ultima stirpis Romanae generatus, perpetuo a maioribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. patre usus est diligente, indulgente, & ut in erant tempora, diti, in primisq. studioso litterarum, hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas imperiri debet, filium eruditum. erat aut in patre, praeter docilitatem ingenij, summa suavitatis oris, et vocis, ut non solum celeriter acciperet, quae tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret, quae ex re a prioribus nobilibus inter aequales ferebatur, & clariusq. existenter adestabat, quam generosi condiscipuli animo aeque ferre possent, itaque incitabat omnes studio suo, quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marij filius, M. Ciceron, quos consuetudine sua sic sibi delinxit, ut nemo ijs perpetuo fuerit carior. pater mature decepsit, ipse adolefcens, propter affinitatem P. Sulpicij, qui tribunus pl. interfe. Eius est, non expers fuit illius periculi, namq. Aniciae Pomponij consobrina, nupsit Seruio fratri Sulpicij. itaque, interfecto Sulpicio, postea qua vidit Cimniano tumultu civitatem esse perturbata, neq. sibi dari facultatem pro dignitate uiuendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis ciuium, cum alij Sullanis, y alij Cimnians fauerent partibus, idoneum tempus ratus studijs obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eo fecius adolefcem Marium, hostem iudicatum, inuit opibus suis: cuius fugam pecunia sublouauit. ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. hic ita uixit, ut uniuersis Atheniensibus merito esset carissimus. nam praeter gratiam, quae iam in adolefcentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam publicam leuauit. cum enim uersuram facere publice necesse esset; neque eius condicionem aequam haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab ijs acceperit, neque longius, quam dictum esset, debere passus sit. quod utrumque erat ijs salutare. nam neque indulgendo inueterasceret eorum aes alienum patiebatur, neque multiplicadis usuris crescere. auxit hoc officium alia quoque liberalitate: nam uniuersos frumento donauit; ita ut singulis v. i. modij tritici darentur, qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus uideretur. quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, ciuemq. facere studeant. quo beneficio ille uti noluit. quod non nulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam alia adscita. Quam diu affuit, ne qua sibi staua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. itaque aliquot ipsi, & Phidiae locis sanctissimis potuerunt. hunc enim in omni procuratore reip. actorem, auctoremq. habebant.

Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperij, ut eandem & patriam haberet, & domum: hoc specimen prudentiae, quod, cum in eam se ciuitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate, doctrinaq. praestaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sulla decedens eum uenisset; quam diu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolefcens & humanitate, & doctrina sic enim Graeco loquebatur, ut Athenis natus uideretur. tanta autem erat suauitas sermonis Latini, ut appareret in eo natium quendam leporem esse, non adfectum. idem poemata pronuntiabat & Graeco, & Latine sic, ut supra nihil posset. quibus rebus factum est, ut Sulla numquam a se dimitteret, cuperetq. secum deducere, qui cum persuadere tentaret, Noli, oro te, inquit Pomponius, aduersum eos me nolle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliquit. Sulla, adolefcens officio colaudato, omnia munera ei, quae Athenis acceperat, proficiscens iussit deferri. Hic complures annos moratus, cum & rei familiari tantum operae daret quantum non indiligens deberet pater familias, & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Atheniensium reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia praestitit. nam & ad comitia eorum uenit auit: & si quae res maior acta est, non desuit: sicut Ciceroni omnibus eius periculis singularem fidem praebuit: cui ex patria fugienti HS 600 & quinquaginta millia donauit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato cos. quem diem sic inuicta ciuitas Atheniensium prosecuta est, ut lacrimis desiderij futuri dolorem indicaret. Habebat auunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli diuitem, difficillima natura: cuius sic asperitatem ueritus est, ut, quae nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit beneuolentiam. quo facto, tulit, pietatis fructum: Caecilius enim moriens testamento adoptauit eum, heredemq. fecit ex dodrante, ex qua hereditate accepit circiter centies HS. erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni: easq. nuptias M. Ciceron conciliat, cum quo a condiscipulatu uiuebat coniunctissime, multo etiam familiaris, quam cum Quinto: ut iudicari possit, plus in amicitia ualere similitudinem morum, quam affinitatem. utebatur autem intime Q. Hortensio, qui ijs temporibus principatum eloquentiae tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut, inter quos tantae laudis esset aemulatio, nulla intercederet obreclatio, essetq. talium uirorum copula. In rep. ita est uersatus, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur, neque tamen se ciuilibus fluctibus committeret; quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se ijs dedissent, quam qui maritimis iactarentur.